ORATIONES
NONNVLLORVM GRAECIAE PATRVM

E BIBLIOTHECA ACHILLIS STATII LVSITANI DEPROMPTAE

Eodem interprete.

GREGORIO. XIII.
PONT. MAX.

Achilles Statius Seruus Sal.

SI Quid eſt animis hominum leuandis oblectandisq. oportunum maxime adcommodatumq., ea vero eſt ipſa pulcherrimarum rerum varietas, e qua non ſolum, qua delectamur, mira quaedam atq. elegans ſpecies exiſtit, ſed incredibilis quoq. voluptas capitur. Vides admirabilem hanc opificis Dei molitionem, terram, dico, mare, caelum; quanta porro ſummus haec artifex varietate diſtinxit, vel pinxit potius. Caelum ſole, luna, ſiderib. noctu, interdiu tamquam gemmis varie micat.

Mare

Mare ferum, nec vnius generis ferax, incredibili copia, cum animantium, tum animae quoq. rerum expertiũ ſcatet. Terra vero adridens ipſa, quas mortalib., quã varias vndiq. vel ſponte ſua, vel colentib. grata, voluptates fundit. Namq. annũ cum tempeſtatum varietas mutet, tempeſtas tamen ſuas quaeq. iucunditates habet. Maxime vero haec ipſa nunc, cum pubeſcẽtis anni iterum laeta facies minus gratae hiemis tam multiplici e florib. odorũ, colorumq. ſuauitate taedium diſcutit, oculos paſcit, animos recreat. Cuius ego temporis amoenitatem imitatus, ex vario librorum veterũ genere, quorum habeo feſtiuam ſane copiam, lucubrationes virorum auctoritate, doctrina, ſanctitateq. praeſtantium, carptim quaſi floſculos legi, quorum faſciculũ, pretioſum

ſum magis, quam amplũ, tibi GREGORI Pontifex Maxime, quanta maxima poſſum animi alacritate, ac deuotione nunc offero, quo cum primis grata dulciq. ingeniorũ varietate, pie profecto atq. honeſte feſſum curis animum leues. Quod ſi, vt ſpero, meo hoc munuſculo conſequeris, pergam equidem hac ipſa te tot tantisq. diſtentum negotijs varietate ſaepe reficere. Vale. Dat. Romae. Kal. Maiis. Anno Sal. CIↃ IↃ LXXVIII.

NILI ABBATIS ANTIQVISSIMI AC SANCTISSIMI VIRI EPISTVLAE TRES, VT SVNT IN VETERI LIBRO

Achillis Statij Luſitani.
Eodem interprete.

Nilus Theocli presbytero.

QVEM ſaluum eſſe voluerit Deus, terrebit eum, varijs caſibus iactabit eum, contriſtabit eum, ne quē illi efferendi ſui locum, ac tempus relinquat. quemadmodum dulcis, peritiſſimusq. Sirach inter cetera, quae valde vtilia
Eccli. 30 lia compoſuit, atq. conſcripſit, Qui, inquit, diligit filium ſuum, adſiduat illi flagella. Nos vero
2. *Cor.* 6. ſincera fide ſupremi Dei filij omnino ſumus, &
2. *Cor.* 4. caſtigamur, nec mortificamur; & deicimur, ſed
Exod. 3. non perimus. Nec enim rubus olim ardens combuſtus eſt.

Idem Petro.

NOn umquam otioſo eſſe animo licet, ſed nec ab ſcripturarũ meditatione, nec ab orationibus, nec ab ſpiritualibus canticis, & inluſtribus iuſtitiae operibus vacare; ne, dum nos ipſi ne glegimus, ſtudium atq. ardorem caritatis per ſocordiam

cordiam amittamus. Nonnullorum, quos peccatorum ſuorum minime paenitet, corpora vexat, atq. exercet dominus, vt eorum malis, diligentiores paullo atq. intellegentiores, a peccatis ſe reuocent ſuis, ac corrigant, nec quamuis minimam in ſe culpam diutius haerere patiantur.

Idem Anaſtaſio.

NOlis temptationibus ſtatim eripi, ſed aequo animo perfer, ac dura, quoad videlicet prouidens Chriſtus velit, qui quae ad te pertinent, omnia ſapienter ordinat. Vides, vt nec de prima, nec de ſecunda, nec de tertia; ſed de quarta demum iam labſae noctis vigilia adfuit dominus ijs, quos tempeſtate, fluctu, ingentiq. metu probans exercebat. Coronas enim non niſi labor ſudorq. contexunt. *Marci. 6.*

Has Nili Abbatis ſummi viri Epiſtulas ad extremum reieceramus. Sed caſu, an errore huc inciderunt tamen. Quas alienum locum occupare maluimus, quam mouere, ac nullas legi.

INDEX ORATIONVM,
quae hoc libello continentur.

I. *S. IOHANNIS Chryſoſtomi Archiepiſcopi Conſtantinopolitani Oratio de inſtituenda ſecundum Deum vita, & Dominicae orationis explanatio.* pag. 1.

II. *Eiusdem Oratio in Natalem Domini noſtri IESV Chriſti diem.* pag. 15.

III. *Eiusdem Oratio in ſancta Theophania.* pag. 21.

IV. *Eiusdem Oratio de Dauid Propheta.* pag. 27.

V. *S. Gregorij Nyßeni Epiſcopi Oratio in Abraham, & Iſaac.* pag. 37.

VI. *S. Athanaſij Alexandrini Archiepiſcopi Oratio in magnam Paraſceuen.* pag. 42.

VII. *S. Amphilochij Iconij Epiſcopi Oratio in Sabbati ſancti diem.* pag. 49.

VIII. *S. Gregorij Antiocheni Epiſcopi Oratio in diuini corporis ſepulturam magni Dei, & Saluatoris noſtri IESV Chriſti, & in glorioſam a mortuis eius triduanam Reſurrectionem, & in Ioſeph ab Arimathea.* pag. 55.

IX. *S. Sophronij Hieroſolymorum Epiſcopi Oratio in exaltationem pretioſae, ac viuificae Crucis, & in ſanctã Domini Reſurrectionẽ.* p. 68.

X. *S. Cyrilli Alexandrini Archiepiſcopi Oratio in parabolam vineae, Simile factum eſt regnũ caelorum homini patriſamilias. &c.* pag. 75.

XI. *Marciani Bethleemitae fragmentum.* pag. 79.

XII. *Nili abbatis Epiſtulae tres.*

S. PATRIS NOSTRI IOHAN. CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANtinopolitani, de inſtituenda ſecundum Deum vita Oratio, & dominicae orationis explanatio

Achille Statio Luſitano interprete.

OMNIS Scriptura diuinitus inſpirata dum legitur, attentis animis adfert notitiam pietatis. Sed profecto euangeliorum ſacroſancta deſcriptio longe praeſtantiorib. documentis excellit. Quae enim in his exſtant eloquia, ſummi ſunt regis oracula. Quamobrem horribile prorſus ijs, qui quae ab eo praecepta ſunt, vere non obſeruarint, impẽdet ſupplicium. An ſi quis ciuiles magiſtratuum terrenorum leges tranſiluerit, neceſſarias omnino poenas luet, caeleſtis domini iuſſa detractans intolerãdis cruciatib. non adficietur? Cum ſit igitur parum attenti animi tantum periculum, ad ea, quae iam lecta ſunt ex euangelio audienda, animos acriter intendamus. Quae ſunt autem illa, quae, inquã, ſunt? Anguſta eſt, inquit, porta, & arta via, quae du- *Matt. 6.* cit ad vitam, & pauci inueniũt eam. Horum ego frequens auditor verborum, inaniſſimis in rebus hominum poſita ſtudia vehementer admiror.

Omnes enim lata gradiuntur via. omnes rebus inhiant praeſentibus, futurarum curam, cogitationemq. nullam ſuſcipiunt. Siquidem corporis voluptates vſquequaq. conſectantur, animas vero fame ſinunt contabeſcere. Cumq. cotidie infinita prope vulnera accipiant, eorum, in quibus ſunt, malorum ſenſum prorſus habent nullum. ijdem adfectis corporibus eos adeunt, qui mederi queant. hos domum remittunt conductos, & mercede onuſtos maxima. tolerantiam vero ſummam praeſtant, & curationem ſuſtinent laborioſam, quo valetudinem conſequantur corporis, adfectae vero animae omnino negl. gentes expetendam inprimis eius ſanitatem contemnunt. Neq. vero eos latet, mortale corpus eſſe ipſum, quodq. facile corrumpatur, vernantium florum ſimillimum; ſic enim, ut illi, marceſcit, corrumpitur, emoritur; animam autem inmortalitate praeditam animalis ipſius creditum ſibi clauum tenere. Quod enim eſt auriga currui, rector naui, fidibus muſicus, idem huic eſſe terreſtri vaſculo, qui finxit illud, animā voluit. Haec habenas continet, haec moderatur clauum, eadē fides pulſat. quae cum ſcienter hoc fecerit, concentū reddit undecumq. ſuauiſſimū. Sin autē vel remiſerit, vel praeter modum ſonos intenderit, arte prorſus & harmonia deficitur. Huius ergo animae curā abiciunt multi mortales, totū uitae tempus curandis inpendunt corporibus. Atq. hi quidē nauticū. vitae genus amplectuntur, & cū uentis fluctuq. pugnātes dubia ſemper ſpe uitae mor

tem ſecũ circumferunt. Namq. ſpes omnis ſalutis, exiguas admodũ in tabulas contulerunt. Illi uero ſtudioſe colendis agris inſudant, boues iungunt, terrã proſcindunt, nunc quidem ſementẽ faciunt, & metunt, nunc uitem inſtituunt, & uindemiam faciunt. quibus omne tempus eiuſmodi faciundo opere miſere labitur. Alij mercaturam ſecuti, terra mariq. peregrinantur. ſolum alienum ſuo praeferunt, patriam, gentem, amicos, coniugẽ, liberos, haud magni cauſſa compendij deſerunt. Sed quid attinet artes omnis colligere, quas in vſum corporis commentus eſt homo, quibus in artibus uerſans perdius, & pernox, curandi illius omnem ſibi rationem comparauit, animam uero eſurientem, ſitientem, arentem, ſqualentem, & innumerabilibus adfectam incommodis omnino contemnit? Atqui tanto ſudore, ac labore mortale corpus a morte non uindicat, animam uero ipſam inmortalem una cum mortali corpore ſupplicijs addicit inmortalibus. Tantas igitur animis hominum ignorantiae offuſas tenebras, ijsq. craſſiſſimam inſidentem nebulam uehementer dolens, equidẽ uellem dari mihi uocem eiuſmodi, quae ab ultimis usq. totius orbis terrarum finibus exaudiri, & ad omnium, qui uiuunt, aures peruenire poſſet; ut & gemens, & vociferans Dauidicum illud ſumma contentione uocis ederem, Filij hominũ usquequo graui corde, utquid diligitis uanitatem, & quaeritis mendaciũ? Cum terrenis caeleſtia, cum aeternis temporalia, cum corruptibilibus incorruptibilia *Pſal. 4.*

commutantes,quousq.oculos clauditis,aures ob turatis,neq. diuinã uocem ſingulis inclamantem
Matt. 7. diebus auditis,Petite,& dabitur uobis, quaerite, & inuenietis,pulſate, & aperietur uobis. Omnis autẽ, qui petit,accipit,& qui quaerit, inuenit, & pulſanti aperietur. Quia uero nonnulli infirmiores ſunt,& ad temporalia ualde propenſi,ac procliues,hiq. carnalibus dediti cogitationib. indulgent, ac pro ſuo genio,uiuendiq. ratione preces adhibent;propterea noſtrum omnium communis dominus precandi nobis formã, rationemq.
Matt. 6. praecepit illis uerbis, Orantes autem,nolite multum loqui, ſicut ethnici. putant enim, quod in multiloquio exaudientur. Multiloquium uocat eam, quae fit abundantia uerborum,inanem loquacitatẽ. Ergo loquacitatem prohibens dominus, ſignificat accedentes ad ſe non debere caduca,& fluxa, non corporis poſtulare pulchritudinem,quam tempus conſumit,ualetudo corrumpit,ac perdit; mors omnino delet. Eſt enim formae ipſius flos minime diuturnus,quem breuiſſima iuuẽtas extulit,uetuſtas temporis iam iamq. corrumpet. Siquis autem formae naturam, quibusq. reb. ea continetur,exquiret, ille uero tum magis hanc deſpuet; neq. enim eſt aliud forma, niſi pituita,ſanguis,fluxio, cibiq. demum confecti fucus. hinc enim oculi, genae, nares,ſupercilia,labra,ac totum deniq. corpus irrigatur; quae ſi deſinat irrigatio,et illa formae ipſius uenuſtas ſimul eſſe deſierit. Neq. uero poſtulandum pecuniae uim,non opes,quae aquarum inſtar fluuia-

lium

lium & adfluunt,& effluunt, nunc ad hunc quidem, nunc uero ad illum tranſeunt, ac poſſeſſorem facile fugiunt,& apud ſui etiam amãtes haerere neſciunt. inſidias uero multiplices habent, tinearum,furum,calumniatorum, incendiorum, naufragiorum,bellicarum incurſionum, rebellãtium populorum, ſeruorum auidorum , & cum de litteris,ac chirographis uel tolluntur aliqua, uel isdem adduntur, uel per imitationem adfinguntur,quæq. multa alia auaros pro ipſorum cupiditate ſequuntur incommoda. Non dominatus,ac dignitates poſtulandũ, quas permulta triſtia,& perpeſſu grauia conſequuntur, curarum tabes,atq. edacitas,iugis inſomnia, inuidẽtium inſidiae,inimicorum hoſtiles machinationes,compoſitis ad fraudem uerbis ueri occultatrix,ac ſub dola rhetorum argutia iudicib. ipſis fere ſuſpecta,ac periculoſa. Sunt,inquam, ſunt multiloqui nõnulli,& uaniloqui,haec & his ſimilia ab omnium Deo poſtulantes. Neq. uero quod medicorũ eſt,medicũ quisquã docet;ſed quidquid ille adhibuerit in quantumuis difficili curatione, aequo animo ſuſtinet. Neq. uectores rectori nauis tenendi claui rationem ullo modo praecipiunt,ſed in foris ipſis,non in ſecunda modo nauigatione, ſed in ſummo etiã periculo illius arte contenti ſedent. Vni tantum Deo, qui quae cuiq. ſint uſui, dare adprime nouit,cedere, ſeq. ipſos nolũt permittere; quae pernicioſa ſunt, perinde ac ſi eſſent utilia, poſcunt. Prorſus ſimiles aegrotantibus, qui ſibi a medico dari poſtulant non ea , quae ſe

Matt. 6.
Luc. 16.
1.T*it.*10
Matt. 6.

morbo liberent,ſed quae morbi cauſſam potius augeant. uerum medicus laborantis preces non audit,immo uero ſi flentem illum, eiulantemq. uiderit,artis ipſius praeceptis obtemperabit potius,quam ut illius flectatur lacrimis. Atq. huius nos quidem,qui aegrotum non audijt,non inhumanitatem, ſed humanitatem interpraetamur. etenim ſi aegrotanti morem geſſiſſet, & eius indulſiſſet uoluptati, feciſſet utiq. hoſtiliter; dum uero contendit, ac renititur,& illius repugnat libidini,miſericordia in illũ atq. humanitate uſus eſſe exiſtimatur. Eodem prorſus modo noſtrarũ medicus animarum non quae nobis fraudi poſtea futura ſint, dare ſuſtinet. neq. enim parentes ijs,quos amant,paruulis adhuc filiolis, uel gladios,uel ignitos carbones adduci poſſunt ut porrigant, quippe qui,quanto illis malo futurum ſit quidquid dederint eiuſmodi, non ignorãt. Nonnulli uero ad extremam prolapſi dementiam,nõ ſolum pulchritudinem,copias,potentatus, ceteraq. eius generis a Deo omnium poſtulant,ſed & inimicis inprecantur ſuis, omniq. eos ſupplicio excruciari petunt,et quem ſibi aequum, ac benignum exoptant,inimicis eſſe inmitem, atq. inhumanum uolunt. Quae nimirum prouidens dominus,ante compeſcit,ac reprimit, ac ne multũ loquamur iubet.Tum quae dicenda ſint orantib. ſimul etiam omnem uirtutem breuiter,& accurate docet. Cuiuſmodi uero ea ſint,quiſue ſit eorũ ſenſus,ac ratio diligentiſſime exquiramus, & tamquam leges a Deo latas non dubitanter obſeruemus.

mus. PATER NOSTER, QVI ES IN CAELIS. *Matth.*
O amoris abundantiam, o dignitatis excellentiã. 6.
Et quae tandem agẽdis gratijs par ſit oratio apud
ipſum tot tantaq. nobis bona profundentem De
um? Tuae, meaeq. naturae indignitatem, amabo,
tantiſper inſpice, dilectiſſime. ſcrutare cognatio-
nem tuam, terram, pulverem, lutum, laterem, ci-
nerem. e terra enim ficti, in terra uitam degentes,
in terram demum reicimur, ac reuertimur. Quae
tu cogitans perculſo animo inexplicabiles largae
illius in nos diuinae bonitatis opes admirare, qui
talem, ac tantum uocare patrem es iuſſus, terre-
nus caeleſtem, mortalis inmortalem, corrupti-
bilis incorruptibilem, temporalis aeternum, he-
ſternum ac nuperum lutum, ipſum, qui eſt ante
ſaecula, Deum. Sed profecto non tu uocem eiuſ-
modi fruſtra doceris mittere. nimirũ, ut ad eam,
quam lingua tua protulit, appellationem patris
erubeſcens, eius imitari bonitatem diſcas. Eſto- *Matth.*
te, inquit alibi, ſimiles patris ueſtri, qui in caelis 5.
eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & ma
los, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Vocare
enim benignum ipſum Deum patrem nõ poteſt,
quiſquis eſt inhumano, atq. efferato animo.
namq; patris caeleſtis notas, ac ſigna bonitatis nõ
retinet, ſed ferinam potius formam induit, atq.
illa diuinae bonitatis excellẽtia degener excidit,
iuxta illud beati Dauid, Homo cum in honore *Pſal.* 48.
eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis in-
ſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Etenim qui
taurino more exultans cornu petit, ut iumẽtum

calce ferit, ut camelus iniuriae meminit, ut urſus uorat, ut lupus rapit, ut ſcorpius uerberat, ſubdole agit ut uulpes, adhinnit ad feminas inſtar equi mulieroſus, qui poſſit hic dignam filio uocem mittere, ac parentem ſuum Deum uocare? Quem hunc igitur appellemus? beluam? at beluæ ſingulæ ſingulis horum uitijs inſignes ſunt, hic uero unus omnia ad ſe uitia cõtrahens, ut illae quoq. rationis ſit expers ipſius. At quid dixi feram, qui ſit ipſe fera importunior, atq. inmanior? Etenim ferae quamuis ſuapte natura inmites, hominum tamen arte inductae ſaepe cicures fiunt, atq. manſueſcunt. hic uero homo cum ſit, illarum inſita feritate ſuam ipſe manſuetudinem commutans, quam demum cauſſam adferet, quod ingenium illud, quod ſibi mite, ac manſuetum natura dederat, ad alienam prorſus feritatem transtulerit, & quod erat natura ferum, mite reddiderit, ſe uero mitem natura, ferum fecerit? Namq. leonem demulcens, ac mitigans ad homines adſueſcere condocefecit, animum ſuum leone reddidit intractabiliorem. At in leone difficultates, & impedimenta duo ſunt maxima, et quod eſt natura rationis expers brutum animal, & quod eſt ipſum ceterorum omnium atrociſſimum, & tamen arte ac diuinitus data ſapientia ferum animantis ingenium uictor domat. Atq. hic quidem ferarum domitor, & inſitum natura, & ſuapte ſponte atq. conſilio ſuſceptum manſuetudinis bonum perdit. leonem facit hominem, ſe ex homine factum leonem pro nihilo ducit. Illi quae ſupra natu-
ram

ram ſunt impartiens, ſibi quae naturalia ſunt, negat atq. inuidet. Qui tandem igitur hic, cum ſit eiuſmodi, appellare Deum parentẽ queat? Quisquis igitur in proximos benignus, ac mitis, qui nec in ſe peccantes ulciſcitur, ſed beneficio potius iniuriam penſat, ille uero Deum patrem quod uocat, reus non peragitur. Tu autem orationis vim, ac magiſterium diligenter aduerte, vtq. mutui leges amoris alterutrum vt diligamus, ferat. Etenim amoris in adfectum inducens omnes, & tamquam inligans, atq. inuectens, dici noluit, Pater mi, qui es in caelis, nimirum qui communem patrem nos habere docti ſimus, fraternam quoq. inter nos eſſe beniuolentiam demonſtremus. Deinde terram, ac terrena omnia relinquentes, ne ijs, quae infra poſita ſunt, inhiemus docet, ſed fidei ſumptis alis aëra tranſuolemus, caelum conſcendamus, et quem vocamus patrem, quaerentes iuſſit dicere, PATER NOSTER, QVI ES IN CAELIS. non quaſi in caelis tantum Deus ſit, ſed vt humi iacentes, ac volutatos ad caeli ſuſpectũ ipſius excitet, vtq. caeleſtium bonorum pulchritudine collucens ipſe cupiditatem noſtram eo rapiat atq. cõuertat. Aliam deinde orationis partem addit dicens. SANCTIFICETVR NOMEN TVVM. Nequis vero inſipienter exiſtimet ſanctitatem Deo aliquã adiunctã a nobis, ac tributã, eo quod dicimus, Sanctificetur nomẽ tuũ. eſt enim ſanctus ipſe, & vndiquaq. ſanctus, ac ſanctorum ſanctiſſimus. hanc enim illi laudẽ nullo vmquã interruptã ſilentio magnis Seraphim concinunt

clamori-

Eſa. 6. clamoribus, Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus ſabbaoth, plenum caelum, plena terra gloria tua. Sed quemadmodum ij, qui regib. acclamationes faciunt, reges eos, imperatoresq. nominant, non quo id quod habent eis tribuant, ſed vt quod habent, adprobantes laudent; ita nos quoq. non quaſi ei nulla inſit, ſanctitatem Deo tribuimus illis verbis, SANCTIFICETVR NOMEN TVVM; ſed eam, quae ineſt, laude adficimus. pro eodem enim Sanctificetur, omnino dixit, quod glorificetur. qua tamen ipſa voce etiam erudimur, virtuti vt conuenienter viuamus; quam noſtram in vitam inſpicientes, atq. intuentes homines patrem noſtrũ, qui in caelis eſt, glorificent. ſic enim alibi, Luceat lux veſtra corã ho-
Matth. 5. minibus, vt videant bona opera veſtra, & glorificent patrem veſtrum, qui in caelis eſt. Secundum haec edocemur dicere, ADVENIAT REGNVM TVVM. Namq. perturbationum corporaliũ oppreſſi tyrannide, & innumerabilib. temptationũ impreſſionibus adpetiti, Dei ipſius egemus re-
Rom. 6. gno, ne videlicet peccatum regnet in mortali corpore noſtro, vt oboediamus ei in concupiſcentijs eius, neq. exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed vt exhibeamus arma iuſtitiae Deo. Militemus igitur rerum aeternarum regi. Ad haec docemur praeſentẽ vitam non vſquequaq. caram habere, ſed praeſentia, vt praetereuntia contemnere. ad ea vero, quae futura ſunt, vtpote ſtantia, ac permanentia, adſpirare, regnũ illud caeleſte, aeternum, quaerere. nec ſaeculi hu-

ius teneri nos patiamur voluptatib. non corporis elegantiam, non pecuniae magnitudinem, nō poſſeſſionum abundantiam, non gemmarum magnificentiam, non inmanes aedium ſubſtructiones, non dominatus, non imperia caſtrorum, non purpuram, non diadema, non exquiſitas, & accurate conditas epulas, non delicias, neq. ſi quid eſt aliud, quod ſenſus noſtros inducere, atq. ineſcare poſſit; verum multa his omnibus ſalute dicta, regnum Dei vnum identidem expetamus. hanc quoq. enim virtutem nos docuit, cum iuſſit dicere. FIAT VOLVNTAS TVA, SICVT IN CAELO, ET IN TERRA. Futurarū enim rerum amorem, & caeleſtis illius regni cupiditatem vbi indidit, facit vt illius percuſſi deſiderio dicamus, FIAT VOLVNTAS TVA, SICVT IN CAELO ET IN TERRA. Da nobis, inquit, domine eius, quae in caelis agitur, vitae rationę ſequi, vt quae vis ipſe, velimus etiam ipſi. Opitulare animae noſtrae laborantis propoſito, & quae tua ſunt, agere cupiētis, verum impeditae corporis infirmitate; conantib. currere, ſed claudicare tamē coactis manum porrige. ſubuolantem animam caro deprimit, illa quidem velox it ad caeleſtia, haec autem ad terreſtria grauis defertur. Adſit modo auxilium tuum, erunt poſſibilia, quae videntur nimis etiam inpoſſibilia. FIAT IGITVR VOLVNTAS TVA, SICVT IN CAELO ET IN TERRA. Quia vero terrae meminit, ijsq. qui e terra procreati ſunt, in eaq. verſantur, & corpus inde cōcretum gerunt, eiusdem quoq. generis cibo eſt opus, neceſſario

ſubdidit,

ſubdidit. PANEM NOSTRVM SVBSTANTIALEM DA NOBIS HODIE. Panem iuſſit poſcere ſubſtantialem, non vitium, ſed victum, qui quod decedit corpori, ſuppleat, eamq. quā adfert inedia, mortē arceat. nō inſtructas dapibus menſas, nō ferculorū miſſus varios, nō in condiendo varia cocorum inuenta, non piſtorum artes, non vini miram fragrantiam, quaeq. alia palatum delectant, ventrem onerant, mentē caecant, quibusq. animo facile corpus inſultat, & quaſi equinū pullum aliquem rectori reddit indocilem, ac refractariolum. Non haec vt poſcamus oratio docuit, ſed ſubſtātialem panem, eum ſcilicet, qui in ipſius coaleſcens corporis naturā vertitur. atq. hunc quidem non diuturnum, ac multorum annorum

Matt. 6. peti voluit, ſed hodiernum tantū. ait enim, Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum. Quid autem diem craſtinum quiſquam curat, qui non ipſum diem craſtinum, non inquam, omnino videt, ſed laborem ſuſcipit, fructū non percipit? In Deo igitur

Pſa. 135 fiduciam colloca, qui dat eſcā omni carni. Etenim qui tuum tibi corpus dedit, animam inſpirauit, teq. rationis particeps animal effecit, is ne

Matt. 5. te figmentum ſuū neglegat, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos? Hoc tu igitur uno fretus, alimentum tātum poſce diarium, illi craſtini curā relinque;

Pſal. 54 quod & beatus Dauid dixit, Iacta ſuper dominū curam tuam, & ipſe te enutriet. Itaq. qui ſummā ſapientiam ſuperioribus verbis edocuiſſet, cum e genere inpoſſibilium eſſe intellegeret, homines

nos

nos mortali cinctos corpore,non errare, docuit etiam illud, ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA,SICVT ET NOS DIMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS. Quib.uerbis res omnino tris complectens agit. Namq. eos qui ad ſummum virtutis gradum peruenerunt, ſentire de ſe mediocriter docet,neq. recte factis admodum cōfidere,ſed trepidare, ac tremere praeteritorū memores peccatorum.exemplo videlicet Pauli Apoſtoli,qui ſpectata iam diu virtute, totq. abūdans meritis,de ſe tamē ipſe ſicloquitur,Quoniā Chriſtus venit in mundum ad ſaluandos peccatores, quor. primus ego sū.Non fui,ſed ſum,dixit,eorū quae feciſſet, atq. admiſiſſet, praeſentem ſemper habere ſe memoriā ſignificans. Eos igitur, qui in ſummo virtutis gradu conſiſtunt,tutae humilitatis quaeſitò excogitatoq. praeſidio communiuit; eos vero,qui poſt ſancti baptiſmatis gratiā lapſi ſunt, de ſalute vt deſperent, non ſinit, ſed quid ab ipſo animarum medico expetendū ſit,docet, medicinā ſcilicet remiſſionis; ſic vero etiā beniuolentia erga homines atq. humanitate nos imbuit. Etenim mites nos,& placabiles eſſe vult ijs, qui ulli ſint adfines culpae,& iniuriae nobis inlatae prorſus inmemores,quippe qui dāda alijs venia, nobis quoq. veniā dari voluit.in quo praeiro nos, & humanitatis, ac veniae modū a nobis primū voluit exiſtere. Namq.tantundē accipere nos ipſi poſcimus,quantū proximo largiti ſumus; ac tanta quidē nos venia dignos ducimus, quantā quoq. debitoribus noſtris ipſi dedimus.Sub haec I.Tim.I

iubemur

iubemur praeterea dicere. ET NE NOS INDUCAS IN TEMPTATIONEM, SED LIBERA NOS A MALO. Siquidē multa diabuli opera, atq. aſtu grauia & moleſta nobis accidunt, multa ab hominib. vel palam iniurijs, vel clam nobis inſidiantibus. iam vero corpus ipſum contra animam non ſine graui noxa nonnumquā inſurgit, nonnumquam varie debilitatum atq. infirmū, dolores nobis atq. languores parit. Itaq. cū tam multa, tamq. varia nobis ingruāt mala, ab his quidē omnib. vt liberemur, a Deo omnium docemur petere. quo nimirū uindice tempeſtas omnis ſedatur, euaneſcit. procella vertitur in tranquillum. malus ipſe confuſus, deſpectus, deluſus, confutatusq. diſcedit ſic, vt olim ab hominib. diſceſſit ad porcos, quos in ipſos nihil niſi iuſſus audebat. Ergo qui nec in porcos quidquā poteſt, hominē in vigilia permanentē, animo ſtantem, intentū, diuino ſaeptum praeſidio, ac regi praeeuntem ſuo tenere audeat, atq. opprimere? quo factum eſt, vt in extrema quoq. oratione poſuerit regnum, potentiam, gloriam. QVONIAM (inquit) TVVM EST REGNVM, ET POTESTAS, ET GLORIA IN SAECVLA. AMEN. Haec, inquit, a te peto, qui regē te eſſe omnium ſcio, aeterno praeditū imperio, qui quae velis, potes omnia; qui gloria, quam nulla vis auferat, inſigniris. Ac de his quidem omnibus omnes ei, qui nos tot dignatus bonis adfecit, gratias agamus. Cui omnis honor, gloria, atq. imperiū debetur, & conuenit, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper, in ſaecula ſaeculorum. Amen.

Matth. 8.

S. PA-

S. PATRIS NOSTRI

IOHAN. CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTAN-*tinopolitani, in Natalem Domini noſtri IESV Chriſti diem Oratio.*

Achille Statio Luſitano interprete.

DAVID idem rex, & propheta, quae legem continebat, arcam ab Allophylis venientem proſpiciens cecinit, atq. ſaltauit. quo facto, & ſuam ipſe laetitiam, & quo eſſet in Deum animo demonſtrauit. Nos autem legis datorem ipſum e virgine tamquam ex arca promicantem intuētes hodierno die gaudebimus, exultabimus. Et quidem arca ipſa illa, quae legē ſeruabat, ijs, qui vel tantillū in ea, quae ſcripta fuerant, peccaſſent, maledictum, ac ſupplicium inferebat; haec autē altera eum continet, qui legem implet, ac perficit, quiq. a maledicto legis nos redimit, omnes iuſtitia, vitaq. muneratur. Hunc igitur diē laeti, hanc ſalutemus celebritatem, vtpote bonis innumerabilib. plenū, ac refertū gaudium. Hodierno enim die qui videri nullo modo poterat, in carne viſus eſt creaturae. hodierno die finium ſpes proceſſit in mediū. hodierno die rex, ijs, qui daemonū tyrannide tenebantur oppreſſi, ſalutaris apparuit. hodierno die quo redimerentur, captiuis pretium venit. Venerunt opes egentib.

2. Reg. 6

Galat. 3.

Pſal. 64.

venit

Luc. 1. venit verſantibus in tenebris lumē, errantibus via. Celebremus huiusmodi feſtū dilectiſſimi: obuenit enim ſeruis libertas, peccatoribus iuſtificatio, inmundis puritas, laborantibus medicina. Venit is, qui caecis videndi, ſurdis audiēdi vim tribuit.
Matt. 11 Venit claudis ſanitas, paralyticis curſus datus, le-
Iſa. 35. proſis mundatio, iacentibus ſurrectio, feſſis quies. Venit eſurientibus ſaturitas, lugentibus hilaritas, inſipientibus ſapientia, mortuis ad vitā reditus. Glorificemus noſtra cauſſa venientem Deum. Venit enim is, qui diabulū praefocauit, mortem iugulauit, infernum ſpoliauit, ac diripuit, interitum, corruptionemq. deleuit. Venit is, qui vitam praeſtat aeternam, inmortalitatem donat, incorruptionis veſte nos induit, ſtola gloriae circūdat. Venit gloriatio iuſtorum. venit omnis gau-
Ephes. 2. dium creaturae, diſſidentiū inter ſeq. conflictan-
1. *Tim.* 1. tium pax. Venit Dei, & hominum mediator. Venit omnis vitae moderator, ac rector. Venit noſtrae vetuſtatis inſtaurator. Venit effrenati oris, & obtrectantiū linguarum refrenator. Venit is, qui homines Angelis aemulos, Deiq. filios facit, regnum caelorum omnib. donat. Quamobrem in terris hodie poteſtates angelicae choros ducunt
Luc. 2. canentes, Gloria in excelſis, & in terra pax, in hominibus beneplacitum. Etenim rem miram, ſtupore dignam, quamq. abſtracto a corpore animo percitus admirere, viderunt omnium dominum ſerui forma circumdatum. Eum, qui caelo fulgurat, qui parentum in vuluis infantes omnes alios informat, & inſtituit, infantem viderūt. Eum, qui

olim finxit Adam, viderunt infirmitatis noſtrae *Gen. 1.*
conſortem, ac participem, quo videlicet Adam
malis eriperet. Magnum prorſus, & incredibile
myſterium in Bethlehem patratum viderunt. la-
ctantem matrem filiolum, non ipſis nuptijs ma-
trem factam puellam, ſalua eandem atq. incolu-
mi virginitate peperiſſe viderunt, matrem quidē
ipſam, ſed maritalis thalami prorſus ignaram.
Noua, mira, inopinata viderunt, nulla ſemente
ſpicam, vuam nullo ſatu, nullo patre editum fili-
um. Quid dicam? quomodo dicam? qui quae ſu-
pra narrationem ſunt, enarrabo? Matre eſt ipſa
maior natu filius. immo vero matris ſuae eſt opi-
fex filius. Eſt enim Dei generatio duplex. altera *Iſa. 53.*
prorſus ineffabilis, fanda altera, ſed quae dicen-
tium linguas inflammat, & inluſtrat. altera prior
ſaeculis omnib. altera poſteriorum temporum,
ex Deo altera, e virgine altera, & hac vna tantum
matre. nulla matre ſupra, nullo infra natus patre,
non illic matris, non hic ad ſui generationem in-
digens patris. ſupra contremiſcunt Angeli, mor-
tales infra contemnunt. ſupra thronus eius Sera
phim ſunt, infra praeſaepe, & ſpelunca eius domi
cilium ſunt. inexplicabili gloria ſupra circumda-
tur, infra pannis inuoluitur. ſupra Seraphim eum *Iſa. 6.*
aduerſa nequeunt intueri, infra meretrix aduolu- *Luc. 7.*
ta pedib. eius adfunditur. ſupra vel a poteſtatib.
ipſis caeleſtib. adiri nequit, infra cum publicanis *Matt. 9.*
etiam diſcumbit. ſupra rex eſt ipſe regnantium,
infra egens ac pauper ſic, vt caput vbi reclinet ſu *Matt. 8.*
um, non habeat. ſupra mundi totius iudex, atq. *Luc. 9.*

Matt.27 arbiter, infra inſons, & innocés, a Pilato tamen iu-
dicatur. Quae profecto omnia pro ſua humani
generis ſollicitudine, curaq. ſingulari geſſit. At-
qui cum vel maxime nos impie egiſſemus, cumq.
grauiſſimis peccatis grauiſſimas etiá poenas de-
beremus, tum vel maxime illius benignitaté ex-
perti ſumus. Quam enim creaturam Deum non
fecimus? qué non coluimus, & adorauimus dae-
monum? quid impietatis nefariae ſuſcipere non
auſi ſumus? quiduis aliud potius, quam vnum, ac
verum Deum Dei nomine dignati. terrá, ſolem,
aſtra, lunam, ligna, lapides, ſtirpes, pecudum ge-
nus omne. quin & voluptatem ipſam, caedé, con
cupiſcentiam, furtum, adulterium, nihil interim
ſapientes, ac cogitantes, diuinis honorib. adfeci-
mus. Diabolicis enim artibus effectum eſt, vt tur
piſſimum quemq. noſtrorum adfectuú proni ve
neraremur, prorſus vt inmunditiam vltro, ac ſce-
lus adgredi videremur. Verum ne ſic quidem bo
nus dominus, cum eſſemus eiuſmodi, nos ipſe ne-
Rom.5. glexit. Sed vbi abundauit peccatum, ſuperabun-
dauit & gratia; vicit eius larga, & copioſa boni-
tas iniquitatem noſtrá, qui magna adductus mi-
ſericordia, medicus ipſe ad nos deſcédit caelitus,
ſuamq. ipſe diuinitaté quaſi mortali vaſculo con-
dens, ac contegens, noſtra ipſorum adſumpta na-
tura, ſic videlicet hominum ſalutem operatus ef-
fecit, extincta morte, ſoluto, & abrogato maledi-
cto, impietate pulſa, diabulo reuincto, daemonú
copijs in fugam conuerſis, nobis, qui verſabamur
Luc.1. in tenebris, inluminatis, inſita veritatis cognitio

ne

ne, caeleſti viuendi ratione demonſtrata, totaq. demum hominũ vita conſtituta. Ob haec igitur omnia tripudiemus,& exultemus, redẽptore, ac rege noſtro nobis adfulgente. propter haec, inquam,omnia feſtum,atq. hilarẽ agamus hodiernum diem,pauidi ac trepidi hanc ad diuinã accedamus menſam,hanc ad myſteriorum celebrationem adeamus. Nec enim neſcitis abundare eam igne ſpiritali, non eo, qui cernatur oculis; vtq. aquae vi,naturaq. ſcatentes fontes manant, ſic menſa haec quoq. ineffabili quadam flamma praedita eſt. Ne tu igitur acceſſeris habens ſtipulam ,ligna, fenum. ne videlicet augeas incendiũ, ipſamq. communicantem animam inflammes. accede porro pretioſos habens lapides, aurum, has ipſas res probiores vt efficias, vt inde quaſi multa auctus mercede diſcedas. Inimicum habet quis,& ab eo grauiter laeſus eſt, inimicitias ponat,vincat animum, & ira grauem ac tumentem comprimat; nequis intus motus, nequis tumultus, nequa ſit perturbatio. Quippe regem communicando excipies,rege vero animam tuam inſcendẽte, adſit ſumma tranquillitas,ſumma quies,&, vt decet, ſit alta pax rebus,ac ſenſibus tuis. Sed grauius laeſus es, quã vt iram poſſis deponere. tu vero ſic te laedis ipſum grauius. Neq. enim talis vmquã in te fuerit inimicus tuus,quamtumuis iniurius,quam tute in temetipſum ſcilicet; ſiquidem reconciliari nolis, Deiq. leges eo facto conculces,ac proteras. laeſit te quidem ille; an tu propterea Deũ laedes? Namq. iniuriae auctori ſi

1. Cor 3.

B 2 recon

recóciliari neges,nō tā ad illius hoc vindictā pertinet,quam ad Dei ipſius,qui haec ſanxit legibus, iniuriam.Tu vero conſeruum tuum ne ſpectaueris,nec eius, quam intulerit iniuriae magnitudinem,ſed ipſum Deum,cuius timorem animo incutiens tuo,illud cogita, te, quo maiorē tibi vim attuleris tam multa expertus mala, iniurioſo homini reconciliari cum cogeris, eo plus honoris, ac praemij ab ipſo,qui ſic iuſſit, ac voluit, conſecuturum Deo. Quemadmodum enim hic illum honore dignū ducis, ſic te illic ipſe gloria dignū ducet,tali tuae oboedientiae multo plura reddēs praemia. Conlaudemus igitur, dilectiſſimi, pro viribus noſtrorū bonorū auctorem Deum,nosq. rectefactis, ac meritis ornemus omnes. Magorū
Matt. 2. exemplo regi gloriae dona feramus omnes, ne vel barbaris deteriores ſimus. Nos,inquam,in fide educati incorruptam pro auro feramus fidē, dogmatum veritatem. etenim illi quoq. tamquā regem illum obſeruantes, aurum tulerunt. Tus ijdem diuinae illius naturae indicem tulerunt; feramus ipſi pro ture vitam ſuaueolentem, Deo gratam,ac probatam. Tulerunt illi myrrhā,eam, quam pro nobis oppetijt, innuentes mortem domini; feramus ipſi peccato renuntiantium membrorum noſtrorum mortificationem. Illi ab Angelo moniti aliam inſtiterunt viam,Herodem fefellerunt,nos domino Angelorum duce peccatorum vitantes contagia, caeleſtem ad Deum inſiſtamus viam,in Chriſto Ieſu domino noſtro,cui gloria, & imperiū cū patre, & ſpiritu ſancto,nūc, & ſemper, & in ſaecula ſaeculorum.Amen.

S. PA-

S. PATRIS NOSTRI

IOHAN. CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONſtantinopolitani, in ſancta Theophania, Oratio.

Achille Statio Luſitano interprete.

DOCVMENTORVM Euangelicorum fons expoſitos ac patentes riuos habet. quo e fonte quisquis ſitibūdus bibit, viuificatur ſpiritu. haurit enim legem praeceptorum, quamlibet vini ſuperātem laetitiam. quippe quae mentem, non ventrem exhilarat. ſpiritualium enim praeceptorum dulcedo non vllam animis adfert ſatietatem. impiorum vero ſenſus, & cogitata ad pietatem conuertit. Audiſti modo in euangelio Baptiſtam Iohannem, concurrente ad ſe baptiſmi cauſſa Iudaeorū multitudine, clamantem, Ego quidē baptizo vos in aqua in paenitentiam, qui autē poſt me venit, fortior me eſt, cuius non ſufficio portare calciamenta. Ecquae tandem ferebat dominus calciamenta tam grauia, quia dixit, non ſufficio calciamenta portare? Verum hoc loco calciamenta dixit ipſa diſpenſationis myſteria. calciamēta enim dicit incarnationē. Cuius rei teſtis eſt dominus ipſe per prophetam clamans: In Idumaeam extendam calciamentum meum. Qua de cauſſa ſcabelli etiam nomine intellegitur incarnatio domini, vtpote viſa in terris, & cum hominib. conuerſata,

Matt. 3. Mar. 1. Luc. 3. Ioh. 1.

Pſal. 59.

Baruc. 3

ſata,& fines terrae complexa.quemadmodũ propheta vtrumq. adhibens, rei futurae ſpeciẽ proponebat,& inclamabat verbis illis,Exaltate dominum Deum veſtrum, & adorate ſcabellũ pedum eius,quoniam ſanctus eſt. Ego quidem baptizo vos in paenitentiam,qui autẽ poſt me venit, fortior me eſt, cuius non ſufficio calciamẽtą portare. Ipſe vos baptizabit in ſpiritu & igni.cuius ventilabrum in manu eius,& emundabit areã ſuam, & triticum quidem colliget in horreum,paleam vero comburet igni inextinguibili. Haec nuntianti Iohanni,ac ſe fortiorem dominum venire quaſi tuba clangenti, reclamabant ab eo baptizatae turbae. Te ne quiſquam eſt,o propheta,fortior? Quid hanc in te calumniam adhibes? Tu magni Zachariae pontificis filius. idem hominib. expetitus ac deſideratus,feris terribilis. Te ne quemquam eſſe fortiorẽ? Quid imaginoſi hoc eſt,quid ve fingis,atq. animo cõcipis? quid loqueris?Profecto te nemo quiſquam fortior. Tu promiſſionis filius. tu Gabrielis indicio demonſtratus. tu ipſo in altari cognitus. tu in oblatione incenſi oſtenſus. tu Iohannes, quod interpretatur, Dei gratia.Quid te igitur ipſum calumniaris?Non eſt te quiſquam fortior. At Iohannes,vtpote ſeruus, domini ſibi dignitatem non adrogans, contradicenti multitudini reclamabat.Vos quod neſcitis, id loquimini,ego vero id quod ſcio,teſtificor.Venit me fortior,per quẽ ipſe, non per me ille. ego e ſterili, ille e virgine. ego miles,ille imperator. ego praecurſor, ille caelo decurſor. ego ſpiritum

Pſal 98.

Matt. 3.

mutuatus

mutuatus accepi. dat ille vitam rebus omnibus. Ego paenitentiae, ille adoptionis in filios dator. *Gal. 4.* Ego baptizo vos in aqua, tamquam vaſa peccatorum ſordib. inquinata praemundans. ille veniẽs ſacramentum infundet gratiae. Ille vos baptizabit in ſpiritu ſancto & igni, non vſtore illo igni, ſed inluminatore. Ego monitoris linguam exerceo. ille iuſti iudicis ventilabrũ gerit, iuſtos quaſi tempeſtiuum frumentum in horrea conditurus, peccatores autem, vel minime paenitentes tamquam ſtipulam comburendos igni tradet inextinguibili. Qui autem poſt me venit, fortior me eſt. Haec atq. his ſimilia Iohanne inclamante, turbae ab eo baptizatae conquierunt, aliae alijs inter ſe iactantes, ac dicentes, Duremus iturae regalis põpae ſpectatores. verbis enim terribilib. onerauit auris noſtras Iohannes. Haec inter praeſtolantib. turbis, & mundanam aliquam ſpeciem ac pompam exſpectantibus, non eam, qua procedere, ſpectariq. ſolet Deus, ſpiritalem beneficentiam, En tibi dominus, qua humanitas eius oculis cernebatur, ſolus, abiectus, ſimplici veſte, & tamquam vnus e vulgo hominum ad Iordanis ripã propius accedens, caput Iohanni baptiſmi cauſſa ſubmiſit. Tum vero Dei ac domini vilem ſpeciem conſpicatus Iohannes, non animo conſiſtere, dubitare, ac vehementer commoueri. fugae locum circumquaq. aſpiciens, quo tamen aufugeret, cũ maxime vellet, non reperiebat. atq. idem nihil videns, cum teneretur tamen, identidẽ clamabat. Quemadmodũ audiſti modo, ego a te baptizari *Matt. 3.*

debeo,& tu uenis ad me?Quid agis domine?quid me turbis necandum prodis?Ego enim de te magnifice praedicaui,cum dixi ſpiritū,ventilabrum, ignem.tu vero tamquá vilis, & hoſpes, aduenaq. veniſti. Quã rem agis Domine?ſupra regis filius, infra regis item filius,nuſquã tamen ſcaeptrũ regium.Oſtenta vero gloriam tuam. quid enim ſo-
Eſa. 6. lus humilisq. veniſti?Vbi tuus ille Angelorum cuneus?vbi illi Archangelorum ordines?vbi Cherubim ſexaliferum miniſteriũ?vbi ventilabrum? vbi
Exo.34 ignis?vbi ſpiritus tuus? Moyſen tu clarificaſti nubem adponens lucidã. os eius gloria prorſus Angelica colluſtraſti. Seruũ tanta gloria adfeciſti, & tu dominus priuato vulgariq. ades ſchemate?Suſtolle.tu enim omnium caput es caelo terraq. ſublimius. Suſtolle domine, & quemadmodum te praebuiſti humilẽ,ſic te quoq. magnũ & admirabilem praebe.Eos,qui adſunt,atq.in his primum me baptiza.Quid enim nihil habens ſordium baptizari vis?Nec ſi maxime baptizare velim,Iordanes ferat. etenim te conditorem nouit omnium. Haerent aquae.Iordanes curſum non promouet. rerum ordini renuntiat. Ergo te elementa nouerunt,ipſe non agnoſcã?Sin baptizari omnino vis, tu temetipſum baptiza, atq. ego quidem manus vltra non porrigam,quae ſuas ipſae compages neſciunt.torpent,contrahuntur,& quod minime didicerunt,exercere nõ valent.Ego debeo a te baptizari,& tu venis ad me?Qui ſis enim ſcio. tu te mihi notũ eſſe nouiſti.Quid me celas intuentem te? vel etiã tum,cum matris vtero continebar,fallens
naturae

naturae leges, & quia nondũ maturũ erat,exitũ e ventre non inueniens,intuebar tantummodo te, quẽ mater vtero ſanctiſſima geſtabat. Noui enim tunc ego te.cumq.fandi impos eſſem,parentis os meae ciens ipſe per eam clamaui ſcilicet, Vnde mihi, vt ad me veniat mater domini? Nihil illic cũ fefellerim,hic celauero? Ego debeo a te baptizari,& tu venis ad me? Verum ad haec dominus. Sine modo. ſic enim oportet implere omnem iuſtitiã. ſine modo.quid enim dicas neſcis,ego quã rem agam ſcio. Diuinitatis meae gloriã palam fieri vis,idq. antequã tempus ferat. Cuncta vero bona in tempore ſuo. Tu quidẽ vera praedicas, non credit autem eorum,qui adſunt,Iudaeorũ genus. Non tu illos genimina viperarũ dixiſti? Quid his igitur reuelari me vis? non eſt huius hoc temporis. nec enim tuum de me teſtimoniũ accipiunt, teq. qui mihi praecurſor es,habent ſuſpectũ.ſine; maius omnino teſtimoniũ accipies. ſine, inquã, modo. ſic enim oportet implere omnem iuſtitiã. At Iohannes, Qui ſic,inquit,domine? Dominus autẽ, qui ſic,ait,quaeris? Sicut circumciſus ſum, etiã baptizor.circumciſus ſum,legẽ vt implerem; baptizor, gratiã vt confirmem. Namq. ſi partem expleuero, partem omiſero,mancũ omnino teſtimoniũ reliquero. Me vero omnia oportet implere, vt paulo poſt ſcribatur illud, Plenitudo legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Sine modo, ſic enim oportet nos implere omnem iuſtitiam. Sine Iohannes. me oportet implere omnia. Sine aquarum ſanctificari naturam. ac niſi a te baptizer

Luc. 1.

Luc. 3.

Rom. 10.

zer ipſe,a paupere ſacerdote rex ſe baptizari nol-
Matt. 3. let. Sine modo. ſine ex alto clamet ſpiritus, Hic
Matt. 13 eſt filius meus dilectus.ne me fabri filium dicti-
tare incipiant homines,agnoſcant autẽ caeleſtem
patrem meum. Sine modo,ſic enim oportet nos
implere omnem iuſtitiam.ſine Iohannes,nec ipſi
1.*Co*.15 Adam opponere. Sum enim ipſe Adam ſecũdus,
delictorum illius portans ſordes. Ac niſi bapti-
zer ipſe,ille qui mundabitur?propterea enim tri-
ginta baptizor annos natus,& illius aetatem,qua
creatus eſt,ſucceſſor excipio, res vt illo compro-
Pſal.28. bentur meae.Sine modo impleatur illud,Vox do
mini ſuper aquas.Tum vero horribilis ſpecies o-
biecta eſt oculis. caput domini Iohannes tangit
timens ac tremens.Ex alto frequentes,quod age-
batur caelo diſcedente ſpectabãt Angeli.Spiritus
vero gratia columbae ſpecie ad domini ſeſe ca-
put adplicans, manum Iohannis regens admoue-
bat. Adſtabat autem multitudo magis magisq.
Matt.21 dubitantium,& illud,Quis eſt hic? magna admi-
ratione dicentium. Hic vero pater turbis reſpon
dens ait, Quid eſt quod inter vos anxie quaeri-
Matt. 3. tis?Hic eſt filius meus dilectus,in quo mihi bene
& 17. complacui.ipſum audite. In filium amorem in-
Marc. 1. creatum clara voce teſtatur, vt qualis in creatu-
Luc. 3. ram ſit ipſe intellegamus, qui talem filium pro
ſeruis talib.tradidit,pro inuiſis ſcilicet atq. odio-
ſis deſideratum, pro inglorijs atq. obſcuris glo-
rioſum.quoniã ipſum decet gloria,honor, & im-
perium vna cum filio vnigenito,& ſpiritu ſancto,
nunc,& ſemper,& in ſaecula, Amen.

S. PATRIS NOSTRI IOHAN. CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI, *de Dauid Propheta, Oratio.*

Achille Statio Luſitano interprete.

In vobis hodierno die lectus, & auditus eſt beatus Dauid, idem ſuauiſſimi carminis egregius modulator atq. artifex, & continentiae magiſter. Namq. ſpiritalem lyram illam ſuam ad pſalmorũ cantus citans, aures quidem extrinſecus mulcet, adficitq., ſenſus vero animi ipſius omni intus continentia mirabiliter excolit atq. componit. Quamobrem ſpiritus ſancti gratia diuinitus illud inſtituit, vt omnium fere Chriſtianorum nemo non Dauid ipſum cottidie caneret, vt exhilaratis animis ſimul etiam proficeret. Illud vero ſaepe ſum ipſe admiratus, mecumq. etiam atq. etiam cogitans, longe abij, atq. exceſſi, reputans videlicet, identidemq. hoc dicens, quid praeter ceteras omnes tũ veteris, tum noui teſtamenti ſcripturas vnum Dauid omnes amant, in ore habent, meditantur. Moſes legislator inſignis os ad os, ideſt, Deum coram intuens ipſe, quiq. nobis quaecumq. creata ſunt, altiſſimo a principio repetens explicauit, ipſum creatorem praedicans dixit, In principio creauit Deus caelũ *Gen. 1.*

& terram;

& terrā. Atq. hic quidem eius liber, & maximus eſt,& omni ſapientia refertiſſimus;eum tamen librum per omnis eccleſias vix ſemel,aut iterum ſingulis hebdomadis replicamus. Veteris,inquis, teſtamenti liber eſt. Quid de ipſorum euangeliorum lectione dices? Vbi praeſentis iam Chriſti
Luc. 7. Ioh. 11. Matt. 8. Marc. 5. Luc. 8. Matt. 8. Marc. 1. Ioh. 9. Matt. 14 Luc. 23. Matt. 3.
miracula praedicantur, verſaturq inter homines Deus, mors verbo tantum depellitur, daemones iuſſu modo fugantur, leproſi verbo ſolo mundantur, caeci nati luto curātur, quinque hominū millia deſertis in locis non amplius quinq. paſcuntur panib. latro in paradiſum introducitur, meretrix vero ſideribus etiam fit ipſis purior. Iordanis vndae ſanctificādis animis noſtris ſanctificantur, vnigenitus Deus a patre caelitus praedicatur. vbi noſtram ipſorum vitam Chriſtus innouans,& ad ſalutem genus hominum vocans atq.informans,
Matt. 5.
clamat, Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorū eſt regnum caelorum. beati mites, beati qui eſuriunt,& ſitiunt iuſtitiam,quoniam ipſi ſaturabuntur. Et tamen eius ipſius leges ac praecepta ſemel tantum,aut iterum per hebdomadam legimus. Sed dices forte,coronas,atq.ornamenta regia cottidie vulgari non debere. Quid Paullus Chriſti orator, orbis terrarum piſcator? qui xiiij. tantū epiſtulis, tamquam retib. quibusdam ſpiritalib. orbem terrarum vniuerſum ad ſalutem incluſit.
2.Co.12
in tertiū caelum, ac rurſus in paradiſum raptus. cui viſa ſunt myſteria regni Dei, quae nō licet homini loqui. Atqui hunc bis tantum in hebdomada legimus; & eius quidem epiſtulam minime pro-

me pronuntiamus ipſi, ſed ad eius lectionem intentis animis atq. aurib. auditione ſola fruimur. Ecquid auté ego de beato Dauid queam dicere, quem ſpiritus ſancti gratia ſingulis diebus ac noctib. decantari inſtituit? Hunc enim omnes vnguenti loco ferunt in ore. In eccleſiae peruigilijs idem primus, medius poſtremus Dauid. In mortuorum * tabernaculis funebri pompa deducendis, efferendiſq. idem primus, medius, poſtremus Dauid. Fiunt in virginum domib. texta, ac veſtes, idem primus, medius, poſtremus Dauid. O mira, noua, inopinata. Multitudo imperita, quae litteras numquã didicit, totum Dauid edidicit, totũ expromit. Neq. vero in triuijs tantum, atq. eccleſijs, omni tempore, atq. in omnis aetatis hominib. clarus & inluſtris effulget hic vnus, ſed in agris etiam, locisq. deſertis, atq. in terra, vt ait ille, domibus negata, incredibili ſtudio ſpiritales hominum choreas ciet, ac tripudia. In monaſterijs apud choros ſanctorum angelicorum ordinum idem primus, medius, poſtremus Dauid. In aſceterijs apud virginum greges Mariam imitantium, idem primus, medius, poſtremus Dauid. Apud eos, qui deſertis in locis crucifixi mũdo, Dei conſuetudine, & colloquio perfruuntur, idem primus, medius, poſtremus Dauid. Et cum mortales omnes noctu naturalis ſomni tamquam tyrannide depreſſi iaceant, ſolus exſurgit Dauid, Deiq. famulos ſecum angelicos ad concentus, ac laudes excitat, terram eſſe caelum iubet, homines Angelos facit, omniaq. mirifice exornans

** Tabernacula uocat ipſa corpora, Scripturarum more atq. uſu.*

Gal. 5. & 6.

1. Cor. 9. exornans, omnib. fit ipſe omnia, ac per omnia vitam nobis inſtituit Angelicã. Seniorib. cauet, peccatores ad paenitentiam vocans ait, Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in ſaecula miſericordia eius. Iam vero bene ſe gerentib. etiam cauens dicit, Delicta iuuentutis meae, & ignorantias meas ne memineris. At beneficio adfectos ad gratiarum actionem inpellens, ait, Quid retribuam domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Eos autem, qui ſaepe labuntur, adhortans dicit, Si iniquitates obſeruaueris domine, domine quis ſuſtinebit? quia a te miſericordia eſt. Eos vero, qui miſericordiam quaerunt, & a Deo petunt, ſic docet, Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiã tuam. Ad ſacerdotiũ vocatis cauens etiam dicit, Ne proicias me a facie tua. In ius vocatos inſtruit verbis illis, Redime me Deus a calumnia hominum. At eos, qui inimicorum inſidias atq. impetũ perhorreſcunt, inſtituens ait, Quoniã ecce inimici tui domine, quoniã ecce inimici tui peribunt, & diſpergentur omnes qui operantur iniquitatem, & exaltabitur ſicut vnicornis cornu meũ, & ſenectus mea in miſericordia vberi, & deſpexit oculus meus inimicos meos, & ab inſurgentib. in me malignãtib. audiet auris mea. Qui vero ſuſtinuerunt, ac beneficio demum adfecti ſunt, gratias agere ſic hortatur, Expectans expectaui dominum, & intendit mihi, & exaudiuit deprecationem meam. O admirandam, o magnam omnino citharam, quae animos hominũ vbiq. terrarũ tamquam fides quaſdam vnam eandemq.

Pſ. 106. Pſal. 24. Pſ. 115. Pſ. 124. Pſal. 50. Pſal 50. Pſ. 118. Pſal. 91. Sic viſũ eſt hunc ſupplere locũ nãq. in graeco exẽplari eadẽ eiuſdẽ pſalmi uerba iterabantur. Pſal. 39.

demq. in laudem concitat. Hic igitur tantus ac talis animorum incentor atq. exornator, & omni prorſus laude maior, quiq. in terris Angelorũ vitam inſtituit, & caeleſtiũ ipſorum ſuperne adplauſib. atq. adclamationib. vndiq. cingebatur, qui tandem in peccatorum capita duo labi potuit? peccatorum enim capita ſunt, Non occides, *Deut. 5.*
Non moechaberis. Atqui in haec ille capita permiſſus eſt cadere. Quo factũ eſt, vt haec cum animo meo ſaepius reputans, cogitatione ſaepe equi dem exceſſerim. Et quemadmodum nauis aliqua in mari ſine gubernatore huc atq. illuc inpulſa fluctib. agitatur, ſic cogitationũ earum quaſi qui dã aeſtus, fluctuſq. maximi ſaepe commoti ſunt, dũ videlicet animo voluens illud, etiam atq etiã itero, qui potuit tot tantisq. virtutis bonis vir ornatiſſimus, idẽ rex, & propheta, & Chriſti ſeruus, & pater, natura ſeruus, pater ſecundũ carnem, Li *Matt. 1.*
ber enim generationis IESV Chriſti, filij Dauid. virtutib. potius, quam diadematis exornatus, humilitate magis, quam purpura circumfuſus, vtpote qui diceret, Domine non eſt exaltatũ *Pſ. 130.*
cor meum, neq. elati ſunt oculi mei, neq. ambulaui in magnis, nec in mirabilib. ſuper me. ſi non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animã meam, ſicut ablactatus. Qui tolerantiae terminis, tamquam metae, coronam demum inponens dicit, Domine Deus meus, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas *Pſal. 7.*
in manibus meis, ſi reddidi retribuentib. mihi mala. Idem non ſuperbiam modo pellens, ac vitans, ſed ſuperbos quoq. auerſatus aiebat, Si ha- *Pſ. 110.*
bitauit

bitauit in medio domus meae qui facit ſuperbiã;
qui loquitur iniqua, nõ direxit in conſpectu ocu.
lorum meorum. Qui confidenter de ſe etiam di-
Pſal. 16 xit, Probaſti me, & non eſt inuenta in me iniqui-
& 138. tas. Quid autem haec dico? quid eius de ſe ipſo te,
ſtimonijs vtor? Saepe enim a quibusdam dici au-,
dio, qui ſibi ipſi teſtimoniũ tribuat, teſtem hunc
fide dignum non eſſe. alter illius rectefacta teſte-
tur, alter merita coronasq. commemoret. vitae
ipſius alter adhibendus eſt teſtis, vt eius maxime
teſtimonio fides habeatur. Ecquem autẽ grauio-
Pſal. 88. rem Deo teſtem adhibeas? Inueni, inquit, Dauid,
filiũ Ieſſae, virum iuſtum ſecundum cor meum.
Quid hoc firmius teſtimonio? quid hac voce gra,
uius? & quomodo hic tot rectefactorũ abundans
laudibus, tot virtutũ ornatus inſignibus, & ſecun-
dum Dei ipſius cor eſſe teſtimonio inluſtris, quo
modo in illa duo peccatorum capita prolabi po-
Deut. 5. tuit, Non occides, Non moechaberis? Occiſor ta-
2 *Reg.* 11 men, & moechus propheta Dei. hic enim nobis
hodie lectus eſt locus. Nihil incuſo prophetam,
ſed veſtrae interim vitae conſulo, vt recte quidẽ
agens ſaepius, tibi tamen ipſe caueas, ne conruas
1. *Cor* 10 ſcilicet, ait enim Apoſtolus. Qui ſe exiſtimat ſta-
re, videat ne cadat. Quamobrẽ etiam ipſemet Da
Pſal. 56, uid illud adſidue repetens iterabat, In finem ne
57 & 58 diſperdas. Illud quoq. ſanctiſſimi uiri eſt, Et vſq.
Pſal. 70. in ſenectutem, & ſenium, Deus meus, ne derelin-
quas me. Quid igitur tantũ in facinus prolapſus
eſt? ob cauſſas nimirum tris. quas, inquis, cauſſas?
Ego vero iamiamq. expediam, tu interim docilẽ
te mihi

te mihi,ac magno opere attentũ praebe.Primum iuſtis in ſuo cuiq. viuendi genere atq. inſtituto, vt caueat, ſiue aſcetis, ſiue eremitis. Multa, inquis,recte feci,multis omnino virtutib. excultus, atq. ornatus ſum. Ieiuno, pernocto, oro, fleo, ſaccum circumfero, corpus meum varie macerans,atq. exercens contabeſeci,nihil iam amplius diabuli impetum,adſultusq. pertimeſco,reliquum eſt,vt pro eo ac merui, doner corona. Ne vero erra, o homo, ne ve animo extollere. nec enim Dauid ipſo quidquã praeſtitiſti amplius.quid enim dicat,audi. Genũa mea infirmata ſunt a ieiunio,& caro mea inmutata eſt propter oleum.Et *Pſ.* 108.
idem rurſus,Ego vero cum moleſti eſſent mihi,in duebar cilicio, & humiliabã in ieiunio animam meam. De vigilia vero quid idem dicat, attende, *Pſal.* 34
Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtitiae tuae. De lacrimis vero ſuis, *Pſ.* 118.
idẽ,Laboraui in gemitu meo,lauabo per ſingulas noctes lectum meum,lacrimis meis ſtratum meũ rigabo. De corporis autem ſui maceratione ſic *Pſal.* 6.
idem dicit.Quoniam cinerem tamquam panem manducabam,& poculum meum cum fletu miſcebam. Quis autem haec loquitur? propheta. Audi uero de eodem rurſus teſtimonium Dei, *Pſ.* 101.
Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum.Et tamẽ hic tot tantisq. rectefactis, ac laudib. adfluens, in eiuſmodi inductus eſt errores. Noli igitur confidere,ſed caue,dicto audiẽs Apoſtoli, Qui ſe exiſtimat ſtare,videat ne cadat.Cauſ- *Pſ.* 188.
ſam dixi primam,nunc ſecundam accipe. Ne uidelicet *1.Cor.* 10

delicet deſperent peccatores . immo vero, cottidie ſiquis peccarit, etiam confiteatur cottidie. milliens peccauit, milliens confiteatur. nihil eſt enim deſperatione deterius. Etenim qui poſt peccatum deſperat, curationē non admittit. An ignoras medicos, ubi de cuiusquam ſalute ſemel deſperarint, non vltra medicinam adhibere, ſed illud potius dicere, da quidquid collibitum eſt aegroto, da quidquid adpetiuerit, nec enim morbus amplius curationem recipit . vicit nimirum artem, atq. omnem medendi rationem, vitium, ac vis morbi. Haec illi, nihil poſthac aegrotum prohibentes, ſolent dicere . Sin aliqua ſanitatis ſpes oſtenditur, omnia experiuntur, temptant, adhibent pharmaca, quae facere ad ſalutem putant. Talis omnino eſt is, qui poſt peccatū veniae ſpē prorſus abiecit. ſiquidem longe maiora in mala praeceps abit. Quamobrem ſi tecum ipſe cogitaris, ſummorum etiam malorum, caedis inquam, atq. adulterij in propheta remedium ſalutare, & curationem extitiſſe, idem ſi milliens pecces, confeſſionis quoq. remedio conſequere . Quod ita velim accipias, atq. interpretere, non quo me auctore atq. hortatore peccare audeas, ſed quo peccantem ſcilicet ad confeſſionem vocem. Etenim bonus, ac benignus Deus, etiam maxima quaeq. peccata facile delet . Quid enim caede, atq. adulterio maius? & tamen poſt haec admiſſa crimina
Pſal 31. propheta quid dicat attende. Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam domino , & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Namq. propterea

grauia

grauia quaeq. peccata Chriſtus in terris verſans
dimiſit, latronem in paradiſum introduxit. publi- *Luc. 23.*
canum fecit Euangeliſtam. Paullum conuitiato- *Matt. 9.*
rem ac blaſphemum, totius orbis terrarum Apo- *Act. 9.*
ſtolum creauit, ne videlicet tu quoq. deſperes, ſed
confeſſione criminis, curationem recipias. Con- *Pſ. 106.*
fitemini, inquit, domino quoniam bonus, quoni-
am in ſaeculū miſericordia eius. Habes cauſſam
ſecundam, accipe nunc etiam tertiam. Venturus
erat ad terras ſeruator hominum carnali nimirū
praeſentia, noſtrae carnis maſſam ipſe ſumptu-
rus, & cum hominib. conuerſaturus: ſed quia &
Deus idē erat, ac ſine peccato ſolus, permiſit vtiq.
iuſtos pro ſuo quemq. arbitrio, ac voluntate pec-
care humanitus, nihil eos in peccatum inducens
ipſe, ſed ad ſuum quemq. ſcopum pro arbitrio ac
uoluntate ire patitur. Sic Abraham minime cre-
dens peccauit, & peccati Deo poenas dedit, Et *Gen. 15.*
ſeruiet, inquit, ſemen tuum annis. cccc. Rurſum
etiam Moiſes, Si glorificaſti Deū,[a] quando aquā
de petra donauit ingratis. Ad quē propterea De-
us.[b] Et videbis terrā promiſſionis, nec ingredieris
in eam. Itaq. alio atq. alio modo, alium atq. aliū
in peccatū labi ſinit, vt humano in corpore vnus
ipſe nulli adfinis culpae reperiretur. Quare pro-
pheta etiam Dauid, cum peccati demum culpam
agnoſceret, his apud Deum verbis vſus eſt. [c] Tibi
ſoli peccaui, & malum coram te feci. Quid ita?
Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum
iudicaris.[d] Cum dies, inquit, illa aderit, apparebit
vtiq. maſſa etiam noſtra illa, ſedens ad dexteram

Alias opinor interpretationes ſecutus eſt, nō qua nos hodie graeca vtimur. quod ipſū ſaepe etiā in aliorum patrū ſcriptis cernas.

[a] Exod. 17. Num. 20.
[b] Deut. 32.
[c] Pſal. 50.
[d] Matt. 25

Pſ.109. maieſtatis Dei. Sede,inquit,a dextris meis,donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorũ. Ergo die illo apparebit quod eiusdem nobiſcum naturae corpus adſumpſit. hoc vero corpus ipſum noſtrum de vniuerſa hominum natura poenas ſumet. Supra corpus,infra corpus, Ait enim,
Ioh. 19. Videbunt in quem conpunxerunt. Sed hoc quidem corpus graue, ac depreſſum peccatis, noſtrum videlicet.illud autem omnis expers peccati; ſed peccatorum tamen poenas exigens, nimi-
Pſal.50. rum, vt iuſtificeris in ſermonib. tuis,& vincas cũ
1.Pet.2. iudicatis. quoniam peccatũ non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.Cui gloria,& inperiũ cum perſancto,bono,ac viuifico ſpiritu,nunc, & per infinita ſaecula ſaeculorum.

Amen.

S. PA-

S. PATRIS NOSTRI GREGORII NYSSENI EPISCOPI IN ABRAHAM ET ISAAC ORATIO.

Achille Statio Luſitano interprete.

ABRAHAM facultate dicendi mea vtpote maiorem, idem & fugio, & amo, quippe quo nihil eſt ad narrandũ iucũdius. Cuius enim pij hominis lingua Abrahã ipſo, atq. eius omnib. documentis non mirifice delectatur, atq. adficitur? Quis illum ſenio confectũ, & ad montem magno ſtudio properantem aſpiciens tamquã ad nouum & admirabile quoddam ſpectaculum non etiã properans ſequitur? Quis illum ad vnigeniti ſacrificium atq. inmolationẽ minime cunctantem videns, non & admiratur ſecum, & dicit, Pro Deus bone, vt hic nullis aut verbis, aut cogitationib. vſus indulſit, vt mente nihil agitauit huiuſmodi, Hem, mihi ſemper noua lex aliqua praeſentia bona de manibus excutit, eaq. vt ſpernam, iubet. Nouae ſemper ac damnoſae leges inponuntur. Ab ipſo ſtatim initio ad extremum vſq. duriſſimis multatus imperatis, relicta patria, in aliena terra iuſſus habitare non recuſaui. gentem cum haberem parta cognatione, ſimul ac tamen dictum illud audiui, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, ſequeſtrari, meq. priuari paſſus ſum. Agar vero ipſam cum deamarẽ, ac- *Gen. 12.*

Gen. 21. *Galat.* 4. cepta lege, Eice ancillam, mulierculam ſimul, & deſiderium eieci meum. Quem diligebã Iſmael iuſſus expuli. Reliquus erat Iſaac, atq. hunc quidem ipſum etiam in monte caedere, & cremare iubeor, munus videlicet e ſterili mihi primũ datum. Satius vero fuit non dediſſe, quã datum iam tollere. Orbus fuiſſem melius, quam naticida pater. Ineuitabile prorſus imperium cogor ſubire. Dicam Sarrae iuſſum ſacrificium? at cariſſimum ſibi filium negabit. Clam ſcilicet abducam, atq. inmolabo? & quibus in eam poſt hac oculis intuebor? Verum haec miſſa vt faciam, tot hoſpitib. to-

Gen. 18. tiens acceptis humaniſſime, nunc inhumaniſſimus quem genui filium qui poſſim occidere? Horum omnium inmemor patriarcha, quaſi depoſitum redditurus ad inmolandũ properabat filiũ.

Gen. 22. Atq. ille quidem conſpecto monte ardentior, ac diuina vi ferebatur inflammatior. Vbi vero radices montis attigit, holocauſti ligna Iſaac vmeris inponit, hoſtiam ſimul atq. aram filium faciens ſuum. Praeclare quidem ille noſtrum adumbrãs Abraham, vnigeniti omnia in vnigenito expreſſit. Quod enim ad ſacrificium ducit Iſaac, quaeq. ad ſacrificium pertinent ligna, vmeris eius inponit, ea vero vnigeniti vmeris crucẽ baiulantis deſcriptio fuit. Verum dominus alienos quoq. ſuis ipſius adfectos ac dolentes doloribus habuit. Illum

Luc. 23. enim ingens multitudo ſequebatur, in qua mulieres erant & pectus tundentes, & vehementer lamentantes. Iſaac vero etiam parentum caruit doloribus tum, cum verbis mire ad commouendũ efficacib. naturae ſtimulos admoueret, Pater, inquiens,

quiens, ecce ignis, & ligna, vbi autem victima ho locauſti? Quam ad filij vocem nihil illius frangebatur animus, nihil admotis naturae ſtimulis intus incendebatur, ac ne tantillum quidem ſe vertens vſquam ipſe lacrimans ingemuit. Sed idem ignifer, atq. enſifer in montem properans, aram quaſi lectulum ſternens excitabat, ignẽ quaſi coquendo accendebat opſonio. filium perinde ac victimã reuincit. Vinctus Iſaac, ictum demiſſis ceruicibus excepturus exſpectabat. O pij hominis Abraham inmanem feritatem. Saltem blanditus filiũ caede. minime vero colliga. aut ſi conligas, conmiſeratus adloquere, & paternis atq. amantibus filiũ verbis conſolare. Non ego, fili, conmota mente caedem facturus, tibi vulnus infero. Mandatum te domini victimam arae inpoſuit. Noli ingemiſcere quaſi hoſtem, non patrem nactus. Te enim ego Iſaac & vehementer diligo, & mecũ viuere equidem vellem. ſed nimirũ Deo poſthabenda ſunt omnia. Tu fili abi, & vale, mihiq. vel ſupremum da complexus oſculum. Horum ille nihil ne cogitans quidem, ſed totus vni intentus ſacrificio, quaſi vitulum mactaturus inminebat. Quo tum vis amoris, quo naturae coniunctio cognatioq. pulſa diſceſſerat? Ac ſi ferrum quidem in filium ſtringitur, ecquando Salomon leui verborum ſpiritu genitalem mox excitauit ignẽ? quo facto egregij cuiusdam iudicis laudem conſecutus eſt. Tu vero iudicij illius rationem cognoſce, vt in Abraham amoris ac propenſae in filium naturae victoriam magis etiã admirere. Venerunt, inquit, duae mulieres meretrices ad Regem, ſte-

Gen.22. *3.Reg.3*

teruntq. coram eo.quarũ vna, Rex,inquit, ego & mulier haec habitabamus in domu,& accidit die tertio,vt haec etiam pareret filium, & quidẽ ambae ibidem, nec quiſquam nobiſcũ alius.& haec noctu dormiens filio incubuit ſuo,atq. ille mortuus eſt. at filium meum viuum meis ex vlnis rapuit,& ego ancilla tua dormiebam,& poſuit filium ſuum mortuum in ſinu meo. Ait vero altera, Nequaquã domine, ſed filius meus viuus, huius autem mortuus.Quid igitur Salomon ſapiens in communibus omnino verae falſaeq. matris argumentis anceps inuenit?ferrum adhibet. viſcerationem minatur,naturam ſcilicet,ſe ſe vt prodat ipſa,ſic irritans interim. Sumite,inquit,mihi gladium, ac puerum diuidite in partis duas,partem vtriq. dimidiã date. His natura temptata, & percuſſa vocibus,quam nouerat matrẽ, confeſſa eſt. At altera parentis mentita nomen iudicis commendare ſententiam.nec enim mater erat, eius vt in filium amor deprehenderetur,cuius in pariendo dolores antea nulli fuiſſent.Vera autẽ mater eiuſmodi ſententia vehementer aeſtuans falſi parenti integro puero cedere, Date, inquit, illi infantem viuum,& nolite interficere eum.illa,inquit,parẽs vocetur.eius ille ſit filius.ſeruetur modo. filius eius ſit, quantumuis me parentem minime vocet.raptum mihi filium liceat tantũ dolere,ne eiuſdem & raptu,& interitu dolores, & lacrimae conduplicentur meae.Praeclare vero Abrahae ſubiecta deſpectaq. natura dormire ac ſtertere. Inmolatus vtriq. Iſaac fuiſſet, niſi prohibitus,& crebris vocib. reuocatus Abraham reſtitiſſet.

tiſſet.

tiſſet. Abrahã, Abraham. Tamquã inpotentis, ac vix retinẽdi equi curſum, ſic illius ruentis impetũ dexterae geminatis repreſſit clamorib. Abraham, Abrahã non extendas manũ tuã ſuper puerum, neq. facias illi quidquã mali. Iſti animi tui propoſito ſacrificium imputo. Mihi pro ſacrificio, & quidẽ maximo eſt egregia iſta ſacrificandi voluntas. Quam dedi prolem, non repeto. Neq. tu a Sarra matre dulciſſimũ filium auerteris. tibi vero ſatis ſit ipſa fuiſſe ornatum atq. auctum figura. Eſt mihi vnigenitus dilectus filius. Ille in ſaeculo verſaturus aderit. ille pro mundo inmolabitur. Etenim voluntaria filij tui caedes, o patriarcha, ſaeculo prorſus inutilis fuiſſet. Vnigeniti vero mei caedes ſaeculo futura eſt ſalutaris. Haec vbi dixit Deus, etiã victimam dedit, perinde ac ſi ſine ſacrificio domum reuerti Abrahae gladius recuſaret. Abrahae igitur zelo inardeſcamus omnes. Vnigenitam carunculam in ſacrificium adhibeamus. ipſi naturae dominum praeponamus, noſtrae carnis pondus in ſacrificium feramus. Etenim quadrageſimae tamquam montem conſcendimus, & abſtinentiae tamquã ad aram corpus noſtrũ deligamus ſic, vt Iſaac ipſum, ad eam, quae in monte fuit, aram patriarcha deligauit. Ieiunij gladiũ tantiſper iugulo ſupponamus, dum quemadmodum olim Abraham ſalutari in ſtirpe inhaerentẽ ac detentũ cernamus agnum. quo de agno Baptiſta Iohannes ait, Ecce agnum Dei, qui tollit peccatũ mundi. Ipſi gloria, imperiũ, honor, adoratio nunc, & in ſaecula ſaeculorum. Amen. *Ioha.* 1.

S. PA-

S. PATRIS NOSTRI ATHANASII ALEXANDRINI *ARCHIEPISCOPI ORATIO*

In magnam Paraſceuen.

Achille Statio Luſitano interprete.

MAGNA omnino caelum molitio,ac
totius,quae cernitur oculis, crea-
turae princeps vocatum vt eſſet.
Magna eſt,& admirabilis Angelo-
rum natura, varia, quaeq. videri
nequeat,pulchritudine praedita. Certat cum v-
troq. ſol ipſe diurnas lucis euibrans faces. Terra
vero Dei ſuſpenſa imperio mentem cogitatio-
nemq. percellit. graue ſcilicet, ac deorſum nu-
tans elementum aquis geſtatum ac vehens. At la-
te diffuſū mare quis aſpiciens explicet, harena
quidem praecinctum,ſpiritu vero temperatum?
Pulchra omnia,& quidem valde pulchra. quip-
Gen. 1. pe quae conditoris omnium ars,ac ſapientia effe
cerit. Sed tantarum rerum pulchritudini rubo-
rem quodammodo incuſſit homo delati hono-
ris abundantia,& ijs, quae coluit, auctor potius
& inlator iniuriae. Mira enim omnia, ſupra eius
modum,creaturae tribuens , illam non tam ho-
nore,quam contumelia potius adfecit. Quo fa-
cto multiplicis erroris abunde parens extitit crea
tura.Sed nimirum aberrantem naturam miſera-
tus eſt Deus, crucemq. in mediū ad ſui notitiam

hominib.

hominib. protulit quauis creatura praeſtabilius inſtrumentũ. Caelum igitur ad impietatem corrigendam,ac mutandam nullius vſus fuit. Sol autem erubeſcens ipſe cultores ſuos cohibere non potuit. Terra vero curando corpori pharmacorum ferax, aegro tamen animo opem ferre non vllam potuit. Mare ipſum morbi eiuſdem curationi prorſus inutile. Itaq. caecutiens homo, & creaturas obiens omnis,vt quidquid obuium habebat,atq. tractabat,pro Deo colebat,inueniendi Dei vel impos omnino,vel minime cupidus.quẽ cum creaturar. coetus omnium praedicaret, hominem tamen ad eam diſciplinam prorſus indocilem non potuit adducere. Sed profecto quod caelum non potuit,crux effecit.quod ſol minime docuit, crux inradians ad notitiam Dei lumen praetulit. Vile lignum, ſed quod ipſum plantatum,terrarum orbem impietati deditum ad omnem pietatem mirabiliter excoluit. Lignum vindictae ac damnationis damnatis ipſis libertatem ac ſalutem attulit. Inualida prorſus, nec ulla ſpe ſalutis hominum condicio languebat, cui tamquam medicus ſalutaris crux adhibita medicinã fecit.Siquidẽ ligno quaſi telo mors olim armata naturam obſedit humanam. itaq. per eam, quae in edendo fuit, tranſgreſſionem,viam ſibi protinus atq. ingreſſum inuenit.qua via patefacta genus hominum morti deinceps addiceretur, vt ij qui communem naturam ſcilicet ſortiti eſſent, poenae quoq. conſortes fierent. Ergo ſuum auctor figmentum miſeratus, lignum ligni remedium

Sap. 13.
Pſal. 18
Rom. 1.

dium dedit, & paſſionis diſpenſationem depellendis paſſionis malis remedium praebuit, victricisq. cum morte mors obarmata feliciſſime pugnauit. Itaq. in libertatem iterum vindicatus eſt homo, & quidem reb. ijs, quib. ad mortem praeceps dabatur, inmortalitate parta. Quib. enim rebus damnabatur, isdem abſoluebatur. O uere diuinam ſapientiam, ac caeleſtẽ omnino ſollertiã. Crux tollebatur, & diabuli potentatus damnabatur. humi crux defigebatur, & Iudaeorum faſtus deprimebatur. Plane vt intellegeres rerum admirabilium tam multarum non ipſum per ſe lignũ, ſed eum, qui ligno ad victoriã vtebatur, cauſſam fuiſſe. Crux, paſſio, claui, lancea, mors ipſa deniq. quaſi quaedam incunabula & faſciolae vitae fiunt aeternae. His ſecundus homo ad vitam rurſus tamquam partu eſt editus, & quib. olim reb. protoplaſtus Adam condemnatus eſt, his Adam nouiſſimus liberatus eſt. Quib. vtiq ab rebus hominum renouantur, atq. extolluntur initia. Hodie
*Matt.*26 dominus IESVS damnas ducitur, & ad tribunal
& 27 a tribunali mittitur. Caiphas ſententiam dicit,
*Marc.*14 quam Pilatus excipiens adprobat. Chriſtus autẽ
& 15. minime detrectat, quo mundum videlicet dam-
Luc. 22. natione liberet. O mira, inaudita, inopinata. Mor
& 23. tis ſententiam libens ſubit atq. amplectitur Do-
Ioha. 18. minus, & continuo Barabas abſoluitur. nulla interpoſita mora reis crux liberationẽ donat. Neq. vero tu hoc loco Iudaeorum mihi nequitiã ſpectã, quod optime de ſe merito praetulerunt homicidam, ſed quod initia ipſa damnationis, reis

ipſis

ipſis liberationis fiunt initia. Atq. is quidem, qui reorum poenas amplexus eſt, iuſtus ipſe viuorũ, ac mortuorum iudex apparebit. Quamobrem diem olim ſtatuit, qua die in homine Deus iudicabit orbem terrarum. Cui nos rei fidem habere voluit Deus, qui ſuſcitauit illum a mortuis. At Iudaei reliqua omnia mortis genera praetermittentes, vnam in crucem voto atq. animis ferebantur & ſupplicij, & indignitatis inſtrumentum. Ligno Dominũ ad mortem adplicant rati mortis acerbitatem ſic auctum iri, cum potius, quod eos latebat, inſignis victoriae ſignũ tollerent. Nec eo contenti, latrones mortis ſocios eſſe coegerunt, vt illa nimirum mortis ſocietas ſepultura prorſus fieret indigna. Neſciebant ſcilicet latronẽ cum Chriſto crucifixum, Domini, quem crucifigerent, regni praeconem diligi, Memento mei Domine in regno tuo, clariſſima voce perſonantem. Crucifixus eſt vt raptor, ſed qui nimirũ extitit euangelij praedicator. vt regẽ veneratur, quem contemnere monebatur. Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum. Quid ais latro? an quae pateris, neſcis? Non tu meminiſti clauorum, non vim dolorum ſentis? atq. vt in templo deprecans, non vt e ligno pendens orationem ſupplex fundis? Verum, inquit, Deum agnoui, atq. illi geſtiens ſupplicaui. Illius dignitatẽ ipſa ex inſcriptione cognoui. Damnatio ipſa regnum praedicat. accuſatio ipſa diadematis fulget gratia. Etenim ſi crucifixus regnat, quis erit tandem coronatus? Regnum agnoſcit creatura. Sol illum videt pendere,

Matt. 16 & 25.

Luc. 23.

Ioha. 19.

Luc. 23.

re,

re, atq. idem non audet apparere, ac pro Domino tamquã pugnans lucem ipſe ſubducit ſuam. Iudaeorũ ſcelus intempeſtiua atq. inopinata nocte condemnat. Terra tremens commouetur,
Matt.27 eos qui Dominũ cruci ſuſpenderunt, cruci proemodum etiam ipſa ſuſpendens. Quin igitur regem eſſe hunc ipſum tot adfectum contumelijs credã? Clamat titulus, creatura teſtatur, quas litteras lego, reapſe intellego. Memento mei Domine in regno tuo. O acerrime Iudaeorum accuſator latro. o paradiſi cuſtos latro. o in retinendo paradiſo progenitore conſtantior, firmiorq. latro. Ille manum in lignum tendens infeliciter,
Gen. 3. poſſeſſione excidit; tu manib. in cruce feliciter paſſis atq. explicatis, quod amiſſum fuerat, recepiſti. O bone atq. ingenioſiſſime latro, quippe qui auitam hereditatem amiſſam vno ſtatim congreſſu reparaſti. o regni confeſſor atq. heres latro. o qui breui dicto caelum ſubaperuiſti latro. o noui carminis, quo miri theſauri elicerentur, inuentor latro. Tu legitimi hominum furti magiſter latro. tu reditus in caelum cruce monſtraſti. tu laudandi doctor latrocinij. tu expetendi furti praeceptor. tu magni furti magnae quoq. mercedis ſyngrapham facis. Tu magnum atq. vberem martyrij fructum docuiſti. cuius tarda fides, velox & accelerata confeſſio. Acceſſiſti nouiſ-
Matt.20 ſimus, coronaris primus. Tu fidei quanta, quãq. praeſens vis ſit, oſtendiſti. tu verae fidei doloribus ad partum tempus non eſſe neceſſarium demonſtraſti. O Iudaeipſius acer accuſator. o ipſo proditori

ditori Iudae grauior laqueo. Tu Iudae proditionem auctori diabulo fraudi vt eſſet machinatus, iuſta Chriſtũ mercatus es emptione; iuſtarumq. vindiciarũ, ac legitimae poſſeſſionis crucem teſtem adhibuiſti. tu Petri commilito, idemq. ſocius, & conſors Apoſtolorum. Succeſſit autem cruci ſepultura. quam in ſepulturam antea numquã inlatum cadauer. ſepultura, inquam, reſurrectionis officina. ſepultura, qua ſublatae ſepulturae, qua mors eſſe mors deſijt. vbi ſata & plantata vita interminata. Bene habet. Sepulchrum nouum fuit. quae profecto gratiae voluntas & conſilium fuit, ne videlicet conditorum multitudo incertam reſurgentis gloriam faceret. ne quis iterum Iudaei calumnijs locus relinqueretur. Vacuum prorſus depoſito Domino ſepulchrum cernitur, Iudaicum os obſtruens, ac propemodum in Iudaeum vocem mittens huiuſmodi. Quid ais nebulo? mortuum alium vides, neminem. Ergo ad pedes reſurgentis accide. ſurgentem intuere, ac verum etiam dominatorẽ agnoſce. Quem enim mihi tu mortuum tradidiſti, hunc ſuapte ui ſurgentem tibi inmortalem reddo. Sed Iudaeis hoc ſatis non fuit. addunt ſigilla ſepulturae. O te miſerum atq. infelicem. An qui dolores mortis ſoluit, ſigilla tua iſta non ſoluat? Qui ſpoliauit infernum, ſigilla tua iſta vereatur? Inprime ſepulturae ſignum. lapidem nota. milites adhibe. monumentum obſide. egregium Domini facinus reddes maius atq. inluſtrius. Etenim reſurrectionis ſpectatores comparas. teſtes reſurrectionis adducis.

Ioha. 13.
Matt. 27
Luc. 23.
Ioh. 19.

adducis? mirabilium meorum praecones tuos ipſius miniſtros facis Huc igitur fratres adcurramus. parturientis ſepulturae tamquam dolores
Matt.27 exſpectemus. Ioſephum, & cum Ioſepho pariter currentem Nicodemum dona ferentes ipſos attendamus. Mundá ſindone, lintheolisq. ac ſudario Dominum vniuerſitatis obuoluunt. myrrham aloenq. ſecum ſigna inmortalitatis ferunt. Spectemus parturientem reſurrectionem. Sepulturae vterũ inmortalitatis parentem intueamur. Exſpectemus dum e tumulo ſurgentem Chriſtũ, ac triumpho inſignem videamus. inſignem de morte, de tyranno parta victoria. laeti laetum ad regem inmortalem accedamus. Eius enim eſt imperium, & poteſtas, & gloria in ſaecula ſaeculorum. Amen.

HIERONYMUS IN CATALOGO Scriptorum Eccleſiaſticorum.

AMphilochius Iconij Epiſcopus nuper mihi librum legit de Spiritu ſancto, quod Deus eſt, & quod adorandus, quodq. & omnipotens ſit. Haec Hieronymus.

Multa praeterea compoſuit opuſcula, quae non dum ſunt edita, & in quibusdam ſeruantur bibliothecis. Ad eumdem etiam D. Baſilius magnus ſcripſit librum de Spiritu ſancto.

S.PA-

S. PATRIS NOSTRI
AMPHILOCHII ICONII EPISCOPI
IN SABBATI SANCTI DIEM ORATIO.

Achille Statio Luſitano interprete.

FVNEBREM feriam feriamur hodierno die, feſtum Saluatoris noſtri diem hunc agentes. Atq. ille quidem infra apud mortuos vincula dirumpit, infernum larga luce conluſtrat, dormientes excitat. Nos autem ſuperne terram calcantes, choreas ducimus, reſurrectionem praeceptam animis ante complexi. Neq. vero illud veremur ne contra incorruptionẽ corruptio praeualeat. Non enim, inquit, dabis ſanctum tuum videre corruptionem. *Pſal.15.* Irrideant fortaſſe noſtram hanc philoſophandi rationem Iudaei, & Graeci. Iudaei quidem Chriſtum alium dum recipiunt, atq. exſpectant, Graeci vero ſpes omnis ſuas ſimul cum corporib. dum ſepulchris claudunt atq. deponunt. de quib. merito intellegatur illud prophetae, Sepulchra eorum, domus illorum. *Pſal.48.* Rident quidem illi poſtea ploraturi. plorabunt enim videntes in quem conpunxerunt. Nos vero flentes licet, voluptate dolorẽ temperemus. Rapuit mors Chriſtum dominum, ſed vitam nimirum mors tenere non poteſt. Dominũ neſcia mors hauſit, quem

cum multis iam iamq. reu ɔmet. Tenetur quidẽ ille nunc volens, qui poſtridie huius diei direpto
Luc. 23. reſurget inferno. Heſterno die ſolem crucifixus obſcurauit, atq. praeſtrinxit, occupante meridiẽ noćte. hodierno die mors accepto non noti generis mortuo diſſipatur. Heſterno die Iudaeo-
*Matt.*27 rum cernens inſaniam luxit creatura, veſtem mutauit, lugubres induta tenebras. hodierno die po
Eſa. 9. pulus qui erat in tenebris, vidit lucem magnam.
Matt 27 Heſterno die tellus quatiebatur, ac de fuga propemodum cogitabat, diſceſſum hiatumq. ſe colentibus minitans. diſſecabantur montes, ſcinde-
Ibid. bantur petrae. Templum ipſum nudũ quaſi animatum ac ſentiens, ſuam ipſius veſtem diſcidit; doloris ſui cauſſam, quod eſſent ſancta violata, ſignificans. Inanima ipſa tanti audaciam facinoris commota ſenſerunt. at haec auſis animi ſine vllo omnino ſenſu fuerunt. Indigniſſime tantum facinus tulerunt elementa, adeo vt locum atq. ordinem prope deſeruerint ſuum, & confuſa omnia permiſcuerint, niſi explorata conditoris ſui
Eſa. 53. voluntate, non inuitum illum adfici contumelijs intellegerent. O rem nouam, atq. inopinatã. Li-
Pſ. 103. gno tenditur, qui verbo caelum tetendit ipſum.
Hiere. 5. Vinculis arcetur, harena latũ mare deuinciens.
*Exod.*15 Felle potatur is, cuius beneficio melle fontes ſca
*Pſal.*80. tent. Spinis coronatur, qui terram floribus coronauit. Harundine pulſatur illius caput, qui decẽ plagis olim calcans Aegyptum adflixit atq. pro-
*Exod.*14. ſtrauit, Pharaonis caput aquis obruit. Conſpuitur facies eius, in quã intueri Cherubim nequeunt.

unt. Atq. ille tot inter acerbitates pro crucifigen tib. ſe tamen orabat illis verbis, Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt. Nimirum vincit in bono malum. Cauſſam ſuſcipit agitq. Chriſticidarum, tamquam ſagena ſimul omnes ad ſalutem complexus. Peccatum ipſum, ignorantiam cauſatus, excuſat. Illorum inſaniam ſuſtinet quantumuis ludibrio habitus. Temulentiã ferens paenitentiae eorum ſtudio humanitatem interpretatur. Sed quid attinet plura commemorare? Nihil illi contra bonitatis ac beniuolentiae referentes, ſepulchro condunt quem eorum quae ſunt, nihil continet. Sigilla inprimunt noſtram ipſorum ſalutem cuſtodientes, & reſurrectionis metu addunt cuſtodiam monumento. Ecquis vmquam mortuum vidit obſeruari? Quis de eius, quem confeciſſet ipſe, vitae fine dubitauit, aut metuit? Quis non hoſti, quem vita priuaſſet, gaudens non inſultauit. Quis inimici tandẽ morte ſatiatus inimicitias non depoſuit? Quem tu Iudaee ſuſtuliſti, times? Quẽ occidiſti, metuis? Quid eum, qui deceſſit e vita, pertimeſcis? Quid e medio ſublatum formidas? Quid quem crucifixiſti pauitans perhorreſcis? Tibi caede parta ſecuritas. bono igitur animo es. Etenim ſi purus homo mortuus eſt, omnino nõ reſurget. Si purus homo, laudo quod crucem fixeris. Si purus homo, non vere dixit, Soluite templũ hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Si purus homo, morte capitur ac tenetur. Si purus homo eſt, quid tu inepte ſepulchrum ſignas? Tertium diem tantiſper exſpecta, cum tuam ipſius inſaniam

Luc. 23. *Rom. 12.* *φιλανθρωπίαν* *Matt. 27* *Iohan. 2.*

ſaniam coargui plane cognoſces. Noli ſollicito animo tanto opere ſatagere. Rerum videbis euentus. Feritatem iſtam ac rabiem contra veritatem ſuſceptam depone. Pugnare cum Deo, teq. ipſum ſauciare pugnando deſine. In iuſtitiae ſolem conuitiari tandem deſine, dum eius radios, dum lumen extinctum iri putas. Vitae fontem obruere inani contentione deſiſte. Praeſides obtundere, & cuſtodiam totiens inculcare deſine. Falſa fingere, mendacium ſtruere, milites ſollicitare iam demum deſine. Quid inutilem ſumis laborem? Quid impietatis ſtudio impendis tua? Quid tibi contra Deum victoriam fingis, ac pollicere? Ne tu mercedē militib. dederis pro alijs alia dicturis. Ne armatorum manū monumento adſidentē circumfuderis. Quid armis fidis? Arma reſurrectionem non inpediunt, ſigilla non cohibent, milites non coercent, non furantur pecuniae, ſed
Iohā. 11. fides. An tu Lazarum nuper mortem quaſi ſomnum excuſſiſſe minime vidiſti, cum funeralib. obuolutus faſcijs, dicto, Lazare veni foras, audiens prodijt? Sequentem iuſſa mortuum vidiſti, vinculis ipſis nihil inpeditum. Morte diſiectum ac diſſipatum vox illa iterum ſolidauit atq. compegit. Ergo illa ipſa qui potuit efficere, haec nimirum etiam efficiet. Qui ſeruū excitauit, multo ſe ipſe facilius excitabit. An qui iam foetentem reuocauit ad vitam, ſe ipſe mortuum neglegeret? Sed profecto incredibilis Iudaeorum caecitas, quae cer-
Pſ. 113. nens ipſa miracula, non cernit tamē. Oculos habent, & non vident, auris habent, & non audiunt.
Etenim

Etenim huius ſaeculi Deus excaecauit corda eorum, ipſis vt euangelium iuſtitiae non inluceat. 2. Cor. 4.
Verum illos nunc quidem ſuae nos incredulitati relinquamus; idemq. cum fidis Mariae illius fidelis ſocijs cogitantes ac voluentes animis ſepulchrum Domini, quaſi illud ipſum agentes dicamus, Tulerunt Dominum noſtrum, & quid illi fecerint, neſcimus. Iohan. 20
Cui cũ inmaculato patre, & ſpiritu ſancto gloria nunc, & in perpetuum, Amen.

Gregorius monachus admirabili uitae ſanctimonia, ſingulariq. doctrina Caeleſtini Romani Põtificis, & Cyrilli Alexandrini epiſcopi ſumma voluntate atq. opera factus eſt epiſcopus Antiochiae. Vixit in monachatu religioſiſsime xij. ipſos annos. Quo tempore multos varijs languorib. atq. incommodis corporis adſectos liberauit. Cumq. caeleſtis ſapientiae incredibili quodam ſtudio flagraret, hanc ille Spiritus ſancti magiſterio ſummam eſt adſecutus. Qua inſtructus poſtea Alexandriam venit, & infinitam per id tempus bacchantium Arrianorum multitudinem, cum ſignorum, tum doctrinae ui, atq. ingenij acumine de ſententia deduxit. Interea vero Iohannes Antiochenus epiſcopus, is qui aliquando a Cyrilli Alexandrini epiſcopi rationib. uehementer diſſenſerat, moritur. Tum Cyrillus ſpectata Gregorij pietate doctrinaq. vt pote quem Alexandriae toto iam triennio verſantem cognouiſſet, clerum populumq. Antiochenum per litteras admonet, ne quem alium, niſi Gregorium epiſcopum legerent, cuius virtutib. pares aliorum non eſſent. Quod eius teſtimonium Caeleſtinum quoq. Romanum Pont. mouit, vt idem

vellet. Cumq. epiſcopi tres Antiochenae prouinciae ordinandi deducendiq. Gregorij cauſſa Alexandriā veniſſent, fugiens ille, ac ne fieret epiſcopus, omnia expertus, communib. omnium votis ac precibus tandem victus ceſſit. Nec tamen eius auctoritatem loci prius voluit contingere, quam populus, ſibiq. credenda ciuitas omnis polliceretur ex diuinae legis praeſcripto vitam ſe omnes eſſe ducturos. Deinde cum Flauianus Conſtantinopolitanus epiſcopus Romam ad Leonē de Eutychis haereſi multa queſtus ſcripſiſſet, eius rei cauſſa Leo Gregoriū Chalcedonenſi Concilio praefecit, in quo ille ſuarum virtutum omnium multa omnino documenta edidit. Illud vero inſigne. Marcianus quidā inprimis potens ac nobilis, cum ad eum conuentum ueniſſet, patribusq. amentiam atq. errorē exprobraſſet, Quid te, inquit Gregorius, futurum ſit, iamiamq. intelleges. moxq. captus oculis, caecutientis animi tenebras demum agnouit, & Gregorij opem inplorans, mox etiam reſtitutus eſt, faſſus errores ſuos. Itaq. dimiſſo Concilio cum ingenti omniū admiratione adplauſuq. Gregorius Antiochiam rediſſet, magnae illius Synodi fidem publice ſuis expo-
Iohan. 2. ſuit. Simile omnino illius Chriſti domini ſignū aliud feciſſe memoratur, ut laborantib. ac deſiderantibus ſuis, hydriā frigidae uerterit in uinum dulciſſimum. Scripſiſſe dicitur librū de cccxviij. patribus Nicenae prioris Synodi. Qui uero tris illū ſcripſiſſe tractatus memoriae prodiderūt, decepti ſunt huius unius tripartito orationis argumento. Vixit in epiſcopatu annos xvij. & xxxvij. eius ciuitatis numeratur epiſcopus.

Haec fere ex hiſtoria epiſcoporum Antiochenorum litteris, & uerbis ſcripta Chaldaicis.

S. PA-

S. PATRIS NOSTRI

GREGORII EPISCOPI ANTIOCHIAE

IN DIVINI CORPORIS SEPVLturam magni Dei & Saluatoris noſtri IESV Chriſti; & in glorioſam a mortuis eius triduanam Reſurrectionem, & in Ioſeph ab Arimathea, Oratio.

Achille Statio Luſitano interprete.

LAVDETVR vero eccleſiae lex, atq. inſtitutum, quo triduanae Saluatoris noſtri mortis memoriam quaſi mortuorũ theſaurũ quemdam celebrare, ac colere iubemur. Quis enim vitalem Chriſti mortem cogitans, mortuos ipſos ſic in loculis, vt in lectulis recumbentes non exiſtimet, opperientes caeleſtem
tubam e monumentis nos omnes formidabilem 1. Co. 15
ad diem illum iudicij conuocantem? Quis ad ſa 1. Teſſ. 4
lutare ſepulchrum illud conuertens oculos non vt vitae thalamis quibuſdam, ſic mortuorum ſepulchris adſtet intentus? Quis qui Dominum reſurrexiſſe credit a mortuis, non perinde animo adficitur, ac ſi reſurgens ipſe reſurrectionis per eum compos fiat? Quia vero praeclarae huic eccleſiae parentes legi atq. inſtituto, ad eos qui in ſepulchris dormiunt, vigiles concurriſtis, quia

quos angit ſtipatq. locus, deſideriū dilatat; quia vuae inſtar pulcherrimae Chriſti cupidiſſimus, vniuerſus populus conſtipatus atq. confertus, ipſi coaluiſtis, expetitum vobis mortis audite myſterium; auditum intellegete; quod ipſum intellectum, male intellegere atq. interpretari nemo poſſit. Chriſtus ipſe dominus, ipſe Dei filius vni
Eſa. 53. genitus, qui ſuapte ſponte, nulla neceſſitate victus aſcendit in crucem, & vniuerſam creaturam paſſis complexus manibus, ac poteſtates inuiſibiles voluntaria paſſione confodiens omnes, carnem tamen ſanctiſſimam ſuam vniuerſae naturae cauſſa triduanam guſtare mortem voluit, qua mortuum genus humanum inmortalitate dona-
Iohan. 19 ret. Namq: ſanctiſſimum caput reclinans ſuum, carni mortem iuſſit accedere, ſtatimq. obſecuta mors adfuit, regijsq. ſerui inſtar praeceptis obtemperans, quod permittebatur, complexa corpus tenuit. Corporis, inquam, illius potita mors eſt, quod eſt ipſis verendum Cherubim, ipſis tremendum Seraphim, ſic ipſius corporis volente domino. Cuius anima ad ceteras quoq. animas redemptionis euangelizandae cauſſa decurrit; nec eius tamen diuinitas vmquam ſe vel ab anima, vel a corpore diſiunxit; nec enim poſt vnionem diuinitas vllo vmquam modo ac tempore ab humanitate ſeparata eſt, ſed in caelo eodem ea tempore, atq. in ſepulchro; inpaſſibilis, inuiolata, incorruptaq. ſuum ipſa cuſtodiens inuolucrum, ac tegimen. Quib. rebus omnib. a Saluatore noſtro ſic adminiſtratis atq. perfectis, Ioſephus
vir

vir inprimis clarus, & copioſus, ab Arimathea profectus, qui Crucifixi diſcipulus fuiſſet, munus extremum ac vicem magiſtro redditurus, acceſſit ad Pilatum, his eum deprecatus verbis. Scilicet pro mortuo deprecationem adhibeo, ab inimicis varie calumnijs vexato, ab amicis ipſo paſſionis tempore trepidantib. deſerto. Pro mortuo ſupplicatum venio, cui nec aurum, nec argentũ vllum fuit, non miles, non ſocius, nõ ſatelles, ſed vna tantum mater paupercula, ſuo illo partu ac fetu diues: pro mortuo, inquã, ſed voluntaria morte adfecto; numquam enim mortem nolens oppetiſſet; legatione defungor. Ergo de cruce deponitor is, qui nemini quidquam nocuit, beneficijs vero innumerabilib. alios adfecit. Da vero munus hoc mihi, quo maius aliud dare non potes. da munus, inquam, quo me dato bees. Da viuificantem mortuum, ipſum vti humo condam. Da beatiſſimum corpus iſtud, quo aſpecto velum ſuum templum diſcidit. Da corpus, quo petrae ſciſſae, ruptura luctum teſtatae ſunt. Liceat ſanctarum manuũ deoſculari vulnera, quibus animae meae curata ſunt vulnera. Liceat ſacroſanctum latus illud attingam, e quo ſanguis myſticus, & regenerationis aqua profluxit. Hument manus hae, qui noſtrae olim mortis tollet originem, atq; incunabula. Curent digiti ſontes hi totius operatorem iuſtitiae. Carnem tangam nullius omnino infectam labe peccati, quam o perbeatum quisquis attigerit. Efferam vero, atq. deducam ſepeliendi cauſſa, qui ſua mortuis monumenta reſerabit.

Matt.27
Marc.14
Eſa. 53.
Matt.27
Ibid.
Iohan.19

rabit. Inferam vita functis fontem reſurrectionis. Iis qui caeco ac tenebroſo tenentur inferno, reſurrectionis lumen accendam. Atq. haec quidem Ioſephus pie loquebatur. cui Pilatus libentiſſime morem geſſit. Namq. diuina vis eius, qui poſcebatur, mortui, haec dum geruntur, vt Deũ decebat, animos nimirũ ipſos agebat, Pilatumq. in obſequium flexerat, atq. mollierat. Ergo legatus idem, fit mox etiam humator; & quod exoptauerat, ſumpto adfuſus corpori, ſua ipſius labra membris ſanctiſſimis admouit, illud ſecum interim cogitans; Mulier ſanguinis fluxum patiens,
Matt. 9. contacta modo veſtimenti eius fimbria, fontem ſanguinis ſiſtere potuit, atq. ſiccare; ego diuinum corpus ipſum contingens, quid bonorũ non etiã
Matt. 27 conſequar? Mox ſindone pura margaritam inuoluens puriſſimam, nouo hanc in monumento conlocauit, oſtioq. monumenti inpoſiturus, lapidem aduoluebat lacrimans, & ad ſepulchrum identidem ſe ſe conuertens ipſe, atq. reſpiciens, magiſtro ſe priuatum dolebat. Praeuertit autem Ioſephi in magiſtrum pietatem hanc, Iudaeorum impietas; quorum, cum ad Pilatum veniſſent, eiuſ
Ibid. modi fuit oratio; Domine recordati ſumus, quod ſeductor ille viuens adhuc dicebat; poſt tres dies reſurgo; iube ergo cuſtodiri ſepulchrum vſq. in tertium diem, ne forte venientes diſcipuli eius, furentur eum, & dicant plebi, quia reſurrexit a mortuis; & erit nouiſſimus error peior priore. Quid ais ſeductor, impieq. Iudaee? An tibi ſedu-
Luc. 17. ctor videtur is, qui tuae gentis leproſos ſanauit?
Is in-

Is, inquam, ſeductor, qui tribulib. tuis innatam demum noctem abſtulit? Seductor ille, qui daemonib. agitatos, errore atq. inſania daemonum liberauit? Seductor is, qui deſertis in locis non elaboratam, non manib. hominum cultam menſam adpoſuit? Seductor is, qui Lazarum a ſepulchro reuocauit, ac mortuũ ipſum quaſi dormientem, verbo tantum excitauit? Seductor Chriſtus, ecquis verax igitur? Seductor Chriſtus; quid, quae locutus eſt ſeductor, times? Seductor Chriſtus; quid illius igitur mortui vocib. paues? Plane de reſurrectione viuens adhuc dixit. Iis, quae praedixerat, plane credis. quid ne qua effugiat atq. elabatur fruſtra laboras miſer? Nam niſi, quẽ dicis, mortuus reſurgat, ſit profecto, de quo impie loqueris, ipſe ſeductor. Quid ad hos igitur Pilatus? Habetis cuſtodiã, ite, cuſtodite ſicut ſcitis. Si inimicum Dei, atq. iniuſtum, ſic enim vos eum vocatis, tanto opere timetis; ſi mortuum viuentes formidatis; habetis cuſtodiã, habetis milites, aduerſus vnũ multi arma ferte, formidabilẽ vobis obſeruate mortuum. Obſignare ſepulchrum vultis? obſignate. Catenis ferreis vultis circumdare? circumdate. Ne vos poſtea dixeritis, Si cuſtodire ſepulchrum nobis licitum fuiſſet, non vtiq. mortuũ perdidiſſemus. Ite, cuſtodite ſicut ſcitis. Si in Petrum incidetis, armis oppreſſum occidite, ac quisquis alius Nazaraei diſcipulorum aderit, impetum facite, eumq. mox interficite. Vos vero excubias illic agite, ne quis eorũ, quos ſuſpectos habetis, veſtrum clam rapere inimicum queat.

Matth. 8
Marc. 1.
Marc. 8.
Iohan. 6.
Iohan. 11
Matt. 27

His

His itaq. verbis, armis, militib. inſtructi hoſtes Saluatoris, incredibili animorum, alacritate dicam, an inſania? ſepulchro potiti, ferreis additis ſigillis adſidere, atq. obſeruare, quouſq. ſcilicet, quem ſeruabant ipſi, voluit. His perfectis rebus, cum permixti cuſtodib. Iudaei monumento adſi-
Matt. 28 derent, Veſpere ſabbatorum, quae luceſcit in primam ſabbatorum, ſucceſſura mox dominica, venit Maria Magdalene, & Maria altera videre ſepulchrũ. O rem prorſus inauditam, ac peregri-
Matt. 26 nam. Petrus Chriſti militiae princeps ancillae vnius linguam modo extimeſcens, dominum viuentem negauit ſuum; & mulieres, infirmum genus ac pauidũ, eo mortuo adfuere, magiſtro ſuo quos poſſent honores habiturae. Venerunt videre ſepulchrũ, vt inſpecto Saluatore, ſuis ipſarum conſternatis animis leuationem ac ſolaciũ quaererent. Conſolari enim dolentiũ animos ſolent & ſepulchri aſpectus, & excuſſae lacrimae. Venerunt videre ſepulchrum, & quam cupierant proxime acceſſerunt. quodq. metu Iudaeorum palam nõ audebant, furtim ingreſſae, vnguentis ſepulchrũ ſpargunt, atq. inde furtim regreſſae, perfuſos lacrimis oculos in ſepulchrũ intendentes, luctu & gemitu dominum videlicet curare, & conſolari ſe ſic putabant. Eaedem ſummiſſa inter ſe voce Iudaeos accuſare. Qui tandem, aiebant, talem in dominũ ſunt auſi talia? nihil enim quod in eo accuſarent, habuerunt. Qui tandem cruci
Luc. 23. adfigere non exhorruerunt, quem crucifixum ſol ipſe aſpiciens aufugit? Quomodo eum morti tra-

dere non extimuerunt, qui nihil omnino morte dignum commiſiſſet? Quid, qui ne morte quidem crudelitatem expleuerunt ſuam, cumq. viuentem adhuc per ſummam inſaniam inſidijs fruſtra totiens adpetiſſent, ſepulchro etiam inſidiantur mortui, & ab eo beneficijs adfectos arcent, neq. ſepulchrũ libere adeuntes adorare ſinunt, vt pro ea, quam quiſq. accepit, gratia aliquã certe lacrimarum vicem reddat. Haec illis inter ſe querentibus, Chriſtumq. vti mortuum lugentibus, ipſe, quẽ lugebant, dominus oculos fallens cuſtodiae, relicto ſepulchro, quoq. idem ſolus ſcit modo, inde ſilentio euolans, caeleſtem angelum cum mandatis huiuſmodi miſit, Vade ad mulieres has, viriles omnino ac fideles mulieres, mei cupidas, meq. exiſtimantes mortuum; quas a me victam mortem, meq. vt vides, etiam viuere doce; earum maerorem in gaudium atq. hilaritatem verte. Iſta dextera lapidem reuolue, quem manus aduoluere multorum, vt intellegant legitimi regis legitimum quoq. militem vnum tyrannicis multis praeſtare militib. Mulieres ipſas in ſepulchri mei thalamum inducito, vt inſpecto voluntariae mortis meae loco ac monumento, meas opes, ac potentiam praedicent. Oſtenta vero ipſis quoq. te terribilẽ cuſtodibus, atq. iſta ſpecie formidabilis metu eos percellito, vt intellegant demum non inpotentia, ſed benignitate atq. indulgentia, eorum audaciam me, atq. iniurias pertuliſſe. Ergo dominicum ſepulchrum angelus actutum tenuit. Quid enim domini detractaſſet

imperium?

Matt. 28 imperium? Ac primũ quidẽ terram ab imo quatiens contremefecit, vt expergefactis cuſtodib. quã ob cauſſam adeſſet, enuntiaret. Deinde contuentib. illis lapidem reuoluit, atq. inſedit, & ſigna irridens ferrea, & Iudaeis lapidi nimis fidentibus inludens. Cumq. terrore ingenti cuſtodes perculiſſet, Iudaeos vero omnes propemodum exanimaſſet, Quid, inquit, timetis Phariſaei? quid contremiſcitis, & tamquam exanimati in facies veſtras cecidiſtis? Audaces in dominum ſeruus exanimat? Formidabilis vobis miles videtur, quibus rex caeleſtis fuit aſpernabilis? praeſentẽ vnũ haud fertis angelum, quid conditoris vniuerſorum claritas, vt veſtros ipſa praeſtringet oculos? Me caeleſtem operam, quo minus lapidem reuoluam, prohibere atq. inpedire non poteſtis; & qui

Iohan. 2. tandem totius opificem creaturae templum corporis ſui excitare volentem prohibere poſſitis? opus prohibere non poteſtis, opifici obuiam ire audeatis? Vos vero ſtate, & quoquo verſum intenti oculos circumferte. Non hic mecum Petrus, non quisquis alius piſcatorum mortuum

Act. 17. mecum furatur; nec enim vllius eget auxilio Deus, non ullius opera opus eſt Deo verbo ſuã ipſius ad reſurrectionem. Quae poſtquam ad cuſtodes, ac Phariſaeos verba fecit Angelus, hosq. humi ſtratos ac trementes reliquit, conuerſus deinde ad mulieres, hilarem ſe his, ac benignum praebuit, atq. earum animos omni abſterſit metu.

Matt. 28 Vos vero, inquit, nihil timueritis; exultate potius atq. gaudete, quae praemio, & corona rem omni-

no dignam praeſtitiſtis. Nolite, inquit, timere vos, vnius enim mecum domini eſtis, eundemq. mecum dominum fertis laudibus. Scio, quia IESVM crucifixum quaeritis. Non IESVM mortuũ dixit, nec enim tunc erat mortuus, ſed IESVM crucifixum, ideſt, eum qui crucis ignominiã contemnens calcauit. Non eſt hic, non eſt vbi putatis, non eſt vbi fuerat poſitus. Hae vero ad eum. Quid tu ais, angele? Nõ hic eſt noſter dominus? non hic eſt noſtrarum cauſſa lacrimarum ac luctus? Ergo fruſtra eum luximus, fruſtra eidem funebria munera attulimus? Non eſt, inquis, hic? Alio rurſus ſceleratiſſimi ac nequiſſimi homines eum tranſtulere; quiq. vitã illi antea, iidem etiam ſepulchrum inuiderunt. Non eſt hic? at vbi ſit, iamiamq. nobis vt dicas, quaeſimus. Quibus angelus, A uobis tanto opere expetitus vbi ſit, vultis ſcire? Ego vero vobis ediſſeram. Surrexit ſicut dixit. Suo more vere dixit omnia, atq. hoc ipſum nunc verum eſt, ſurrexit ſicut dixit. Sed quid ego ea, quae omnem orationem ſenſumq. longe ſuperant, declarem? quo tandem pacto dominicae reſurrectionis explicem myſterium? Triduana mors eius myſterium fuit, & eiuſdem reſurrectio vtiq. myſterium. Quemadmodũ clauſis virginitatis ianuis natus eſt, ſic ſepulchro etiam clauſo reſurrexit. vtq. primogenitus e vulua ipſe vnigenitus, ſic primogenitus ex mortuis Chriſtus extitit. Huius quemadmodum partum matris, ſic e ſepulchro eiuſdem exitum curſumq. oratione complecti nequeo. Cerno oculis reſurrectionis

Hebr. 12

Matt. 28

Hebr. 1.
1. *Co* 15.
Apoc. 1.

nis locum,in reſurrectionem praeterea nihil inquiro. Locum veneror miraculi, etſi modum rationemq. non adſequor miraculi. Quae nimirũ
Matt. 28 video,eadem vobis etiam monſtro.Venite, & videte locũ,vbi dominus erat poſitus. Hanc enim ob cauſſam lapidẽ ſuſtuli, non vti exituro IESV obſequens fores aperirem. namq. omnium ipſe
Pſal. 15. auxilium,meo nihil egebat auxilio. Quippe an-
Eſa. 28. tequam lapidem reuoluiſſem,ſummus angularis lapis,vt quidem ipſe voluit,iam exiluerat.Vos vero vt & locum ſciatis, & qui reſurrexit, dominũ laudibus concelebretis, Venite, & videte locum vbi poſitus erat dominus. Pronae in ſepulchrum inſpicite,ad caelum mox animis vt transferamini. Lacrimis indulgere definite, viuentẽ in mortuis quaerere definite, immo vero tripu[illegible]s
Oſee. 13. morti conuitiũ facite,ac dicite,Vbi tuus,o mors, ſtimulus?Vbi tua,inferne,victoria?Et cito euntes
Matt. 28 dicite diſcipulis eius, quia ſurrexit a mortuis, & ecce praecedet vos in Galilaeam,ibi eum videbitis,ſicut dixit vobis. Cauete vero ne tantum miraculum ſilentio tegatis. nec enim ſeruis inpune eſt,domini reticere miracula. Illae mixto timori gaudio egreſſae quamprimum e monumento, diſcipulis eius nuntiatum adcurrere. Has ſcilicet mulieres ad curſum incitans Spiritus ſan-
Eſa. 27. ctus, per Eſaiam prophetam clamabat,Mulieres ab ſpectaculo venientes venite. non enim populus eſt habens intellectum. Summa igitur contentione,atq.alacritate currentibus,inter ſeq. certantib. mulierib. dum earum vnaquaeq. ſibi cre-
ditum

ditum euangelium Apoſtolis adferre prior ſtudet, qui reſurrexerat, repente adſtans dominus, angeli verbis ſua nimirum forma ac ſpecie tamquam ſigillo ſignum inpoſuit, & eorum animis quodammodo addens alas, Gaudete vero, inquit, *Matt.* 28
damnas Eua iuſtificata eſt. exul Adam reuocatus eſt. fraus ipſa ſublata eſt. ſerpens malus corruit. inmortalitas hominib. propoſita demum apparuit. Quas ob res omnis, feſtos dies agite. Ite, *Ibid.*
nuntiate fratribus meis. Videte quã ſim patiens ipſe, atq. longanimis. fratres appello meos, qui me triſtiſſimo crucis tempore deſeruerunt. Noui *Matt.* 26
enim adfectus iniuria longanimis eſſe. noui ferre eos, qui me neſcierunt. noui ſeruorum meorum infirmitatib. aequo animo circùmferri. noui peccantium miſerari lacrimas. noui paeniten tib. mederi. Ite, nuntiate diſcipulis, vt in Galilaeam veniant, ibiq. me videbunt. Nuntiate fratrib. meis quae vos omnium primae vidiſtis myſteria. Eſtote totius orbis terrae magiſtrorũ magiſtrae. Norit vtiq. qui me negauit Petrus, mulieres etiã *Ibid.*
poſſe me creare apoſtolos. Eant vero in Galilaeam, lacumq. vilem illic videant, vnde ad rationalium piſcationem piſcium eos ſum ipſe piſca- *Matt.* 4.
tus. Haec quidem mulierib. dominus. Idem vero etiamnum baptiſmali in fonte fidelib. adeſt inuiſibilis. Idem recens inluminatos vt amicos *Ioha.* 15.
ac fratres oſculatur, eiſq. idem dicit, Gaudete. Idem laetitia, miraq. voluptate corda eorum animoſq. perfundit. Idem ſordentes ſuae gratiae fluentis abluit. Idem regeneratos ſancti Spiritus

inungit vnguento. Idem rurſus in altari bonus
Iohan.6. recumbit, ipſe cibator & cibus. Idem ſeruis ſuis
ſpiritalem victum praebet. Idem pijs omnibus
Matt.26 dicit, ac fidelibus, Accipite, comedite caeleſtem
panem. Accipite, bibite lateris mei fontem, hauſtum quidem ſemper, nec umquam tamen exhauſtum. Saturamini eſurientes. inebriamini ſitientes, ebrietate caeleſti. Verum o caelorum rex, qui
Hebr. 1. ſedes ad dexterā maieſtatis in altiſſimis. qui corporis expertium es poteſtatum dominus. qui vti vis creaturam moderaris. qui genus humanum benigne atq. amanter regis. qui diē nobis hunc, celebritatemq. donaſti. Nos quoq. ſic, vt pecca-
Luc. 7. tricem olim, miſerare, neq. perſequaris Deus. Immo potius tua freti benignitate, corpus tuum ſanctiſſimū peccatricib. ſumamus manibus, quemadmodum nec peccatricem ipſam quoq. vltus es, quae ſanctiſſimos pedes tuos olim tetigit. Patere quoq. te a nobis teneri indignis, ac pro tua
Luc. 5. bonitate nos etiam iuua, qui publicanos quoq. olim vocaſti. Idem in timorem nos tui, tamquam in retia conclude, quemadmodum perſecutorē
Act. 9. Paulum in apoſtolatum caelitus expiſcatus es. Fac, vt pura omnes conſcientia viuificae reſurrectionis diem feſtum peragamus. Etenim tu ſolus es bonus, ac benignus dominus, teq. vnum decet gloria, atq. imperium, cum puriſſimo patre tuo, ac viuifico ſpiritu, nunc, & ſemper, & in ſaecula ſaeculorum. Amen.

SOphronius venerabilis monachus, ſic enim eum appellat ſexta Synodus actione xij. Hieroſolymorum poſtea factus epiſcopus, circa Heraclij principis tempora omnib. ingenij pietatisq. laudib. floruit. Cuius in ſexta, ac poſteriore Nicena Synodis frequens, eaq. perhonorifica fit mentio. Hic catholicae fidei fuit propugnator acerrimus, cuius in ſancta diptycha nomen propterea relatũ eſt. Extant in ſexta Synodo, actione xi. *eius ad Sergium Conſtantinopolitanum ſynodica. Quin & ſynodicorum eius ad Honorium Romanum Pontificem, meminit Photius Conſtantinopolitanus in bibliotheca. Scripſit idem encomium in ſanctos Cyrum & Iohannem, nec non librũ de vitis multorum ſanctorum virorum. e quibus eius opuſculis excerpta quaedam leguntur in ſecunda Nicena Synodo, actione* iv.

S. PATRIS NOSTRI

SOPHRONII EPISCOPI HIEROSOLYMORVM,

IN EXALTATIONEM PRETIOſae, ac viuificae Crucis, & in ſanctā Domini Reſurrectionem, Oratio.

Achille Statio Luſitano interprete.

CRVCIS hoc panegyricum ſollemne. ecquis autem gaudio non exultet? Reſurrectionis haec praedicatio. ecquis igitur non arrideat? Nam quae in Caluariae depacta eſt loco, & vniuerſae creaturae dominum ſi-
Colos. 2. bi adfixum ſuſtinuit, aduerſarium nobis chirographum reſcidit, noſq. peccati vinculis liberauit. Chirographũ, inquam, illũ, cui noſtrũ omnium
Gen. 3. parens Adam Dei praecepta tranſiliens primus ſubſcripſit, vt cũ animi voluptate vitulorũ more
Rom. 5. ſolutis vinculis exultaret. Vbi enim abundauit delictũ, ſuperabundauit & gratia Dei. Crux mortis ipſius perniciẽ depulit, inferni tenebras diſcuſ-
*Matt.*27 ſit, mortuos ſepulchris excitauit, &, vt cũ prophe-
Apoc. 7. ta loquar, ab omnium ore lacrimas abſterſit. Gratiam vero nulli certo heredi, nulli proprie ſucceſſori, ſed omnib. dilargita eſt hominib. Nec enim proprium eſt cuiuſquam reſurrectionis munus, nec ad paucos eius etiã meritum pertinet. Deus enim

enim omni creatura prior, humanam poſtea carnem adſumpſit, in qua ſepulchrum, ſiue potius reſurrectionem condidit. qui priuatim inpartiri gratiam neſcit. apud quem non eſt perſonarum acceptio. Verus enim omnium Deus ad omnes homines ſalutis gratiam propagat. Atq. ille quidem imagini ſuae ſic pepercit, vt eam ſcilicet quamperfectiſſime inſtaurans renouaret. Namq. homines terreni omnes ad imaginem Dei facti ſunt. Praeceſſerunt crucis monumenta, ecquis nō ſe igitur ipſe crucifigat? Eum enim veriſſimum adoratorem agnoſcit Deus, qui ſe ipſe mundo demum crucifixerit, idq. rebus ipſis declarat, ac modis omnib. amator crucis eſſe deprehenditur. Reſurrectionis adſunt encaenia, ecquis autem fidelium pulſis procul letalib. paſſionib. & ſumpta quaſi animae inmortalitatis veſte non etiam renouatur? Namq. animae mors eſſe altera cenſetur, altera eius, quod circumfert ipſa, corporis. Et quidem illam peccatum, quemadmodum ſedis huius princeps, ac rector ipſe Dei frater Iacobus ſcripſit; hanc autem ipſa elementorum reſolutio, ac diſceſſio parit, quibus ex elementis corporis conſtat ſubſtantia. parit etiam animae ſeparatio ipſius atq. exceſſio, velint, nolint medici, qui vnius modo corporis curationem profitentur, ac promittunt. Namq. homini quod praeceptis diuinis minime paruit, ab eo, qui ſe creauit, Deo haec omnino poena inrogata eſt. Crux ſublimis tollitur, ecquis autem non etiam myſtice ſuſtollitur? Vbi enim redemptor extollitur,

Rom. 2.
Galat. 2.
Ephes. 6.
Colos. 3.
Iacob. 1.

& redemptus propius accedens proſilit, optans videlicet, & ſaluatori adſociari ſuo, atq. eius immortalium bonorum tamquã vindemiam facere. Hodierno die in medium reſurrectio procedit, & procedens omnia ſimul exhilarat. Hodierno die crux apparet, ſeq. adorantib. munera dilargitur. Hodierno die reſurrectio tamquam expanditur, atq. explicatur, & crux ipſa in altum tollitur. Illa quidem interitum, corruptionemq. haec vero daemonũ copias concidens, atq. confundens. Illa miſſa propemodum voce mortem vera morte adfectam, haec per angelos ceteris omnib. artes omnes atq. aſtus daemonum ſublatos periſſe penitus clare omnino palamq. pronuntians. Atq. o rem prorſus miram. An myſterium verebor dicere? Nuper reſurrectionẽ crux ipſa praeceſſerat, nunc autem ducem, & tamquã praecurſorẽ aliquem nacta crux ipſa reſurrectionem ſequitur. O admirandam viciſſitudinem. Experior itaq. hoc etiam loco verum omnino domini dictum. Ecce enim nouiſſimi fuerunt primi, rurſumq. primi fuerunt nouiſſimi. Quis viciſſitudinum atq. alternationum harum cauſſas explicet? Nec enim, vt in curriculo ac ſtadio, curſor hic praecucurrit, ille tardus poſterior fuit. Quid enim non, vt ante, diuina crux exoriens prior effulſit, ſed triduana poſt illam reſurrectio lucem ſecum ipſa ducens illuxit? Quo itaq. vſi conſilio maiores noſtri hanc horum viciſſitudinem eſſe voluerint, equidem pro certo quod adfirmem, non habeo. Exiſtimamus autem, atq.

Matt. 20

hanc

hanc coniecturam ipſi facimus, eos qui longinquis e regionib. ad horum inluſtrem adorationẽ diuerſi veniunt,hoc prius,illud vero poſterius vt eſſet,cauſſam fuiſſe. Nimirum vt hi prius gratiſſimum,clariſſimumq. reſurrectionis diem feſtũ poſtquam egiſſent,mox beatam crucis exaltationem intuentes, praeſtantiſſimo illius comitatu, & tamquam optimo, ac ſalutari quodam viatico inſtructi abeant. Terra crux vna comes currat,mari ſimul etiam nauiget. Eadem vbiq. ſalutis praemia concedat,reb. omnib. aduerſis liberet,ac reipſa demonſtret, vniuerſum terrarũ orbem ſumma ipſius ui contineri, crucis eſſe plena omnia. nullo negotio eandem vbiq. praeſentem adeſſe. difficili rerum ſtatu, ac tempore fideles eadem tuetur atq. conſeruat. Praelucet eadem pijs ſalutis facem praeferens. inſidias omnes atq. hoſtiũ conſilia fruſtratur,ac diſſipat. Subſit etiam fortaſſe alia obſcura ratio,quam nouerint, probeq. intellexerint ſuperiores huius eccleſiae magiſtri. cuius profecto nos,qui minimi omnium ſumus,fateri plane ignaros eſſe, minime pudet. Eius vtinã Dei beneficio nos olim quoq. gnari ſimus, nihil amplius dubitantes,idq. veſtra omnium,qui maxime fideles eſtis,vtilitatis cauſſa. Quid vobis igitur his maius ſit ſollẽnibus? aut qui feſtos hoſce agentes dies non gaudebimus,non exultabimus? Reſurrectionis fulgor, lumenq. praeferens crucis adoratio totius nobis ſalutis trophaea ſunt. Haec nos morte, paſſionib. atq. omni daemonũ iniuria liberatos, ac redemptos ad Deum adduxe

re. triſtia atq. acerba omnia diſpulere. rerum lætiſſimarum nitorem, faciemq. pulcherrimam nobis oſtenderunt, & quodammodo explicarunt. An non vitae parens reſurrectio nobis ad inmortalem vitam benigne aditum patefecit? An non libertatem, & paſſionis omnis inmunitatem nobis crucis ipſius peperit exaltatio? Quae profecto eadem nos Deo familiares etiam fecerunt, cuius familiaritatis cauſſa natus, ac nobis omnibus exortus adfulſit Deus. Feſtorum igitur horum vim myſticam non ignorantes, vtpote quae nos & acceptorum beneficiorum admonent, & cur inſtituta ſint ipſa, declarant, ſic in his quoq. celebrandis, & colendis nos geramus ipſi, quemadmodum celebrari ſe, coliq. eadem poſtulant. non

Rom. 13. cubilib. & impudicitiis, non contentionis ſtudio, non rebus alijs deniq. quorum numerum, ac nomina prudens ſupprimo. Audacter dicam fratres veriſſimi, & eiuſdem nobiſcum fidei coheredes, quiq. ſpirituales hos * ipſos fetus vna etiam locupletaſtis, eum qui ſe celebrare ſic & colere voluerit, non modo hi videre non ſuſtinent, ſed auerſantur etiam, exoſumq. habent, indigne, minimeq. vt decuit, ſecum verſantem, odioſa atq. indigna omnia perpetrantem. Quamobrem moneo, atq. hortor ea vos odiſſe, atq. auerſari, quae veſtra quoq. oderunt ſacra; amare uero illa, atq. agere quae placere isdem etiam intellegimus. placere autem, & voluptatẽ adferre ſolent quaecumq. facienti ſunt etiam ſalutaria, quaecumq. ad uitam ducunt aeternam. Non ne ad nos haec

* *ideſt dies eosdẽ ſingulis redeũtes annis.*

vitam

vitam ſine fine, ſine occaſu lumen ab ipſo vſq.
Chriſto promicantia miro quodã ſplendore pro-
pagarunt? Ergo cum eorum viuendi ratione no-
ſtram quoq. commutemus, vitamq. priſtinã tur-
pem vtiq.ac nocentem vertentes in melius,noui-
tate vitae placeamus. An non vitae nobis heredi-
tatem reſurrectio attulit? An non hominem vete- *Ephes.* 4
rem crux ipſa crucifixit? Ergo vitam amemus no- *Colos.* 3.
uam. Qua fiet, vt non ſolum verbis amici ſimus; *Rom.*6.
ſed etiam ipſius maxime familiares myſtae. Si-
uero crucem etiam ipſam amplectimur, quid
ni paſſiones quoq. cum membris ipſis crucifigi-
mus,vt vna cum Paullo clamemus etiã ipſi, Chri- *Gal.* 2.
ſto confixus ſum cruci. viuo autem iam non ego,
viuit vero in me Chriſtus? Si ſe igitur in ijs Chri-
ſtus viuere teſtatur,qui ſe mundo ipſi crucifixe-
runt,quiq. terrena membra,vt idem Paullus cla- *Colos.* 3.
riſſime teſtatur, mortificauerunt, quid ni eadem
omnes facimus, nullumq. non membrum terre-
num mortificamus,prauos ſcilicet animi motus,
prauam concupiſcentiam, ceteraq. hoc ipſo de
numero, ac genere mala? Nimirũ in nobis Chri-
ſtus vt viuat, vitamq. donet ſenectutis neſciam.
Cum omnib. igitur pacem ſequamur, qua cum *Rom.*12
nobis pariter ſanctificationẽ paremus. ſine quib.
dominũ quiſquam,eodem Paullo teſte, numquã *Heb.*12.
videbit. Quam ob cauſſam vtiq. pax etiam Chri-
ſtus dicitur. Ipſe enim, inquit,eſt pax noſtra.San- *Ephes.* 2
ctificatio etiam idem dictus eſt. Pax, vtpote qui 1.*Cor.*1.
pacis alumnam concordiam nobis attulit, terre-
nis vniens aptansq. caeleſtia, & ex vtriſq. vnum *Ephes.*2
eundemq.

eundemq. conuentum atq. eccleſiam faciens. Idem ſanctificatio,ac redemptio dicitur. Namq. praeter ſuperiora illa etiam hoc audit,vtpote qui captiuorum omnium noſtrum redemptor extitit. Neq. vero tantum nos a daemonib. ipſis,prauisq. animi motib. liberauit, ſed diuinam quoq. ſanctificationem nobis inſeuit. quae, ſi me quidē auditis,omni ſtudio,animiq. contentione ſectabimur, quaeremus,rapiemus, vt hac pulcherrima beatiſſimaq. copulatione apti coniunctiq. Chriſto cohaereamus. Etenim ſic ad ſe accedentē ſua ipſum bonitate ac beatitudine minime prohibet. Age igitur, properemus, atq. hunc nobis cum Chriſto quaſi concentū comparemus. quo nihil eſt profecto praeſtantius.vtq. in nobis Chriſtus ipſe viuat,quouis pretio nihil cunctati mercemur,atq. curemus.quo nihil eſt omnino firmius ac ſtabilius. vt his hic partis diuitiis, caeleſti quoq. regno,aeterna inuenta vita,perfruamur,in eodem Chriſto,& ſaluatore noſtro.cum quo patri,vnaq. cum ſpiritu ſancto gloria,nunc, & ſemper,& in ſaecula ſaeculorum. Amen.

S. PA-

S. PATRIS NOSTRI
CYRILLI ALEXANDRINI ARCHIEPISCOPI ORATIO
IN PARABOLAM VINEAE, Simile factum eſt regnum caelorum homini patrifamilias, &c. *Matt.20*

Achille Statio Luſitano interprete.

AVDISTI, dilectiſſime, euangelicam domini parabolam;audi uero nunc etiam,quam quidem afferre potuimus, eiuſdem interpretationem. Magnae huius domus paterfamilias eſt dominus Deus. Eſt enim mundus ipſe domus,cuius dominus is, qui eum condidit, Deus. Vinea vero eius,natura humana; operarij vineae ipſius,ſancti nimirum quicumq. ſaluti hominum ſtudentes inſeruierunt.Hora prima, ideſt tempus,quo Abel,Enoch,Noë, ceteriq. eorum ſuppares aetatũ fuere. Namq. hae vineae ipſius primae operae ; ſiquidem Noë primus vineam poſuit. Vides ne,quemadmodum hic operarius vineam coluit? Intellegens igitur intellege. ſunt enim verba ſpiritalia. Ergo hi in tertiam vſq. horam fecerunt opus. Hora poſt tertia Abraham,Iſaac, & Iacob patrum ſucceſſerunt aetates. Etenim ſalutis noſtrae hi quoq. operarij; qui quod tres numero fuerunt,in ſextam vſq. horam nauauerunt operam ſuam. Quod deinde tempus *Gen. 9.*

pus horam ſextam ſequitur, ipſe hic adeo meridies eſt, cum videlicet orbem terrae ſol inluſtrat maxime; id eſt vero tempus legis, cum vere omnino verum ipſum lumen Deus noſter humanum
Pſal.18. genus inluminauit. Praeceptum enim domini lucidum inluminans oculos. Et rurſus. Quoniam lux mandata tua. Sexta poſt hora reliquus deinde dies medius. Interiectis enim temporibus inter initium creationis, fineſq. ſaeculorum, tum ſcilicet de die medio Moſes & Aarō miſſi. Namq. ſecundum legem cultus Dei ad octauam vſq. horam pertinuit. Nona hora ſucceſſit aetas ea, quae ſpiritum Dei ferentes prophetas tulit. Namq. hi tamquam operarij boni a patrefamilias quoq. miſſi ſunt, vt animae noſtrae vineam in decimam vſq. horam colerent. Decimam horam vnigeniti vndecima hora aduentus excepit. Nouiſſimis
1.Petr.1 enim temporibus in conſummatione ſaeculorū
Hebr.9. venit ad nos filius Dei, Deus verbum. Quemadmodum autem ab vndecima in duodecimā vſq. horam reliqua eſt vna hora nouiſſima; ſic ab aduentu domini in conſummationem vſq. ipſam reliqua vna hora eſt. Iohannem dicentem audi.
1.Ioh.2. Filioli, nouiſſima hora eſt. Quia vero vineae paterfamilias vndecima hora cum exiſſet, inuentos conduxit otioſos; qui tandem ſunt otioſi hi? nimirum nos, ex gentibus. Otioſi enim eramus, ac va-
Matt.20 cui Dei notitia, recteq. factis. Et ait illis, Quid ſtatis hic tota die otioſi? Totam diem tempus omne ſcilicet inter creationem aduentumq. domini interiectum ſignificans. Ad id enim tempus otioſae

plane gentes, Dei prorſus ignarae. Quia nemo, *Ibid.*
inquiunt,nos conduxit. Bonae omnino gentium
mentes,neq. enim eas quiſquam conduxerat,nul
la lex,nulli prophetae. Vnum enim ad Iſrahel,
non ad gentes illi miſſi fuerant. Non iniuria igi-
tur dicunt, Quia nemo nos conduxit. Bonus au-
tem paterfamilias,Ite & uos,inquit, in vineã me- *Ibid.*
am faciundi cauſſa operis,& quod iuſtum fuerit
dabo vobis. Otioſi olim fuerunt operarij, nunc
autem opus diligenter facit eccleſia. Opus facit
chorus apoſtolorum, martyrum, aſcetarum, ſo-
litariorum,virginum ſacrarum,continẽtium,ho-
neſtorum coniugum. Vnum omnino denarium,
ſed dignum tamen,& quantiuis pretij, accepit ec
cleſia. Poteſt enim quis breui tempore inpenſa
opera,vnius horae,perinde opus adferre,ac ſi ma
ne opus facere coepiſſet. Latro hora vna audiuit, *Luc.23.*
Hodie mecum eris in paradiſo. Sed quid illi por-
ro dicant,audiamus. Nos qui portauimus pon- *Matt.20*
dus,& aeſtum diei. Vere hoc dicunt. neq. enim
ſub lege hi legalis iugi portauerant pondus, ſed
opere tamen pares illis fuerunt. Amice, inquit, *Ibid.*
non facio tibi iniuriam. Nullam omnino facit
iniuriam iudex iuſtitiae.Illud vero,Volo huic da- *Pſal.74.*
re,ſicut & tibi; caue putes ad acceptionem perti-
nere perſonarum, vel gratiae datam mercedem;
ſed ita intellege,atq. in eam partem potius acci-
pe. quandoquidẽ quidquid facimus, quidquid
elaboramus, nihil omnino per ſe dignum faci-
mus; omnis enim iuſtitia hominis quaſi pannus *Eſa. 64.*
menſtruatae; totum hoc ipſum gratiam vocauit.
quemadmodum

Rom.3. quemadmodum Paulus ait, Iuſtificati gratis ipſi-
Ephes.2 us gratia,& non ex operibus,vt ne quis glorietur.
Dei enim donum. Non quaſi nihil agamus ipſi,
ſed quia nihil pro dignitate facimus. Cum enim,
Luc.17. inquit,feceritis haec omnia,dicite quoniam ſer-
ui inutiles ſumus. quod debuimus facere, feci-
mus. Panem itaq. pauperi praebes, & regni Dei
Matt.20 hereditatem cernis. Iam ne vides illud,Volo da-
re? Illud vero alterum, An oculus tuus nequam
eſt, quia ego bonus ſum? Non dixit, Numquid
mali ſancti? Verum,Numquid mali eſtis? Omni-
no enim bonus ex bono. Nec par etiam operi
merces.Tantulum enim opus, merces vero mul-
Matt.10 ta. Calice frigidae ſitientem potaſti, percipis au-
1.Cor.2. tem quae oculus non vidit,auris nõ audiuit.Non
Matt.20 ne vides,vt bonus eſt? Illud vero, Incipiens a no-
Matt.19 uiſſimis vſq. ad primos; quoniam ſcilicet erunt
Oſee. 2. primi nouiſſimi. Et, Vocabo nõ populum meum
Rom 9. populum meum. Et alibi, Cum plenitudo gen-
& 11. tium introierit,tunc & omnis Israhel ſaluabitur,
in Iesv Chriſto domino noſtro, cui gloria, &
imperium in ſaecula ſaeculorum, Amen.

MARCIANI BETHLEEMITAE FRAGMENTVM, VT EST IN VETERI LIBRO ACHILLIS STATII LVSITANI.

Eodem interprete.

QVEMADMODVM corporis adflictiones aliæ in ſuperficie exſtantes facile cerni poſſunt, eoq. facilem curationem admittunt, nec incertam medentis manũ faciunt; aliae intimae ac penitus abditae doloris & moleſtiae plus exhibent, nec curari facile poſſunt; ſic peccatorum paſſiones quoq. quibus caro uicta ſuccubuit, non obſcurum vtiq. ruborem adferunt, excidiq. cum poſſint, tolluntur facile, condonanturq. ac paenitentiae locum relinquunt. Verũ animi ipſius morbi grauiores ſunt, nec depelli facile poſſunt, quos ſuo quisq. conſilio retinet, nec confeſſionis modum rationemq. recipit. Quis enim vel mente mala praeditum, vel inuidum, vel fraudulentum, vel inanis gloriae cupidum, vel elati animi ſeipſum accuſat? Quo factum eſt, vt quae minime obſcura ſunt vitia, litera prohibuerit, videlicet, Non occides, & cetera. *Exod. 20* At quae reliqua ſunt, ſpiritus prohibuit illis verbis, Lauamini, mundi eſtote, auferte nequitias de animabus veſtris. *Eſa. 1.* Namq. peccatorũ ſunt loci tres. aut enim in ſaecularibus inſunt peccata, cuiusmodi ſunt publicani; aut in carnalibus,

cuius generis ſunt adulteri; aut in animis inſunt ipſis hominū, quales ſunt Phariſaei, quiq. prauo animo quiduis agunt. Quo fit vt difficiliores ſint animi morbi. Saecularia enim, & carnalia peccata aliunde accedunt, excidiq. poſſunt, quare & paenitentiae rationē admittunt; animi vero morbi proficiſcuntur intrinſecus, corde nimirū atq. animo nati, & idcirco vix curari, aut ne curari quidem poſſunt, quippe qui mentem animumq. corrumpunt, indidemq. tamquam ab radice pullulant.

FINIS.

ROMAE
EXCVDEBAT. FRANCISCVS
ZANNETTVS. ANNO
cIↃ. IↃ. LXXVIII.